Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
6 F
19

14-15.f.8

~~17~~ ~~17-e-33~~
9
31

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

M. T. Ciceronis de FATO LIBER,

Petri Rami Regij profeſſoris prælectionibus explicatus.



PARISIIS,

Apud Andream Wechelum.

1565.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

18.3.31.

Digitized by Google

MARCI TULLII CICERONIS DE FATO LIBER,

Petri Rami prælectionibus explicatus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MARCUS Tul. Cicero, quæſtionem de Fato obſcuram (ut ait ipſe) eamque logicæ totá diſputaverat. Itaque quoniam logicus eſſe, & dialecticus haberi volo, perlibenter hanc fati quæſtionem quotidianis prælectionibus explicandam ſuſcepi: ut dialecticæ noſtræ uſum diſcipulis meis exempli nobilis, imó veró perobſcuri perque difficilis explicatione demonſtrarem: Fuerat veró in utramque partem deducta diſputatio. Duo fatum conſtituebant, Poſidonius & Chryſippus: tres refellunt, Diodorus, Epicurus, Carneades: Unus eſt diſceptator & arbiter omnium Cicero. Poſidonius igitur (ut initio aliquid de ſingulis attingamus, etiam paulo fuſius & prolixius, ut ſumma rerum quædam prius intelligatur, quàm ad tam obſcuram diſputationem veniatur) Stoicus philoſophus fuit, idemque tantus aſtrologus, ut ſphæram confecerit, cujus ſingulæ converſiones idem efficerent in Sole & Luna & in quinque ſtellis errantibus, quod efficitur in cælo ſingulis diebus ac noctibus. Hic igitur cum ita ſe aſtrologiæ tradidiſſet, ſtudio ſuo vehementius oblectatus, fatum, id eſt, rerum òmnium immutabilem & ſempiternam neceſſitatem, naturæ ſiderumque contagioni attribuit: Hæc ſententia eſt omnium, quæ de fato feruntur, maxima, maximeque celebrata, ut Porphyrius ſummus gentium philoſophus affirmarit, quæcunque dii fata prædixiſſent, ex ſiderum motu prædixiſſe: & de Chriſtianis Origenes ſidera ſic interpretatur eſſe temporum ſigna, ut cælum ſit veluti quidam liber apertus omnia tempora deſcripta continens, ſed eum tamen librum ab hominibus legi non poſſe. Totus in Cicerone locus hic ferè amiſſus eſt: confirmatio certé tota periit, refutationis particula tantúm supereſt. nos á D. Auguſtino ſententiam quandam hinc deproptam & ab eo refutatam tranſtulimus: ex reliquiis tamen apparet veré

conſtanterque Poſidonio reſpõſum eſſe, aſtrorum magnas quidem eſſe affectiones, ſed humanæ voluntatis, philoſophiæque vires eſſe majores. Secunda pro fato ſentẽtia eſt Chryſippi, Stoici item philoſophi in dialecticis tam ſubtilis & acuti, ut in Græcia vulgó jactaretur, ſi dii dialecticis uterentur, non aliis, quám Chryſippeis uſuros eſſe. Chryſippus itaque fatum definiebat, cauſſarũ ſeriem ſempiternam, qua & præterita facta eſſent, & inſtantia fierent, & quæ ſequerentur, eſſent futura: in eaque ſerie cauſſas non ſolúm neceſſarias, ſed voluntarias etiam & liberas copulabat, ut ejuſmodi ſeries catena quædam eſſet, ex infinitis annulis inter ſe conſertis & contextis, quorum firmiores eſſent alii, alii infirmiores: omnes tamen ſic inter ſe catenati, ut diſſolvi & diſjungi non poſſent, fatumque ita definitum quatuor argumentis, naturæ contagione, divinatione, enuntiationis definitione, & cauſſarum anteceſſione confirmabat: confirmatio ipſa tota periit ut & Poſidonii, refutatio minus mutilata eſt. In primo argumento oratio Ciceronis valde mutilata eſt, attamen ut anté Poſidonio, ita nunc Chryſippo ſubtiliter & acuté reſpondetur, naturæ contagionem multas quidem ad res valere, ad omnes non valere, imó veró quævis naturæ vitia diſciplina & voluntate ſuperari poſſe. Secundi argumenti tractatio magis imperfecta eſt, quam primi. Sed ex duorum philoſophorum Diodori & Carneadis argumentis, duobus diverſis & diſjunctis locis utcunque percipitur. Diodorus veró Chryſippo occultiús inſidiatur. Cúm enim fatum improbaret, Chryſippeum divinationis argumentum in Chryſippum ipſum (qui fatali cauſſarum ordini intexebat voluntarias & contingentes cauſſas) retorquebat, ut ſi divinatio eſſet, divinaque (ut loquimur) præſcita, omnia divinitus præſcita vera falſaque, ab æterno vera, falſaque eſſent. Unde fallaciter & captioſé concludebat omnia vera neceſſaria, omnia falſa impoſſibilia, nihil medium, contingens, fortuitum, liberum, quod tamen Stoicus ille in ſuo fato conſtituerat. Sic Diodorus everſo uno fati argumento totum fatum evertebat. Sed Diodorea ſententia licet verbo fatum oppugnet, re ipſa tamen non minus confirmat, quám ſeries Stoica. Nam ſi omnia futura, neceſſarió futura ſint, nil contingens, nil fortuitum, nulla denique libertas animis noſtris relinquetur, ſed omnia neceſſitate fatali occupabuntur. Sic enim veriſſimé diſſerit Ariſtoteles περὶ τῆς ἑρμηνείας, ſublato contingenti, fatum conſtitui. Hic Cicero Chryſippum Diodori ſophiſmatis explicare ſe neſcientem veriſſimé quidem deridet, at Cicero ipſe multó magis deridendus vel potiús accuſandus, qui ſententiam tam improbam, tam improbé & quidem permultis in locis repetitã comprobarit: aut certé cúm falſas ſibi refellendas proponeret, non refutarit.

rit. In reliquis duobus fati argumentis,logica Chryſippi ſpinoſior eſt, Hic enim ſic agebat, ac primum de enuntiatione, Neceſſe eſt omnem enuntiationem veram eſſe aut falſam: ergo in contradictione rerum enuntiatarum pars altera neceſſario vera, pars altera neceſſario falſa erit. De anteceſſione cauſſarum ſic: Quicquid fit,antecedente cauſſa fit: ergo hujus facti eſt proxima quædã cauſſa: proximæ rurſus alia abhinc ſecunda,ſecundæ tertia,tertiæ quarta,quartæ deinceps quinta,quintæ demum ſexta: ut filii cauſſa pater,patris avus,avi proavus,proavi abavus,abavi atavus,atavi tritavus,eodemque modo in infinitum. Epicurus, qui dialecticam non modò neſciebat,ſed contemnebat,ad perfruendas voluptates cùm fati neceſſitate liber eſſe vellet, hæc dialectica argumenta deridebat, omnemque enuntiationem veram eſſe aut falſam, rerumque omnium catenatas illas cauſſas antecedere negabat: Imò omnem efficientiam fortuitis atomorum declinationibus tribuebat. Cicero reprehenſionem Epicuream, ut ineptam & fatuam coarguit, & ſic exagitat,ut miſerabilius Epicuro nil eſſe videatur. At bone,imò etiam dialectice deus, utinam homines dialecticam artem aut verã noſſent,aut omnino nullam noſſent. Enuntiatio & ex cõtrariis medio carentibus diſjunctio, res ſunt in vera dialectica notiſſimæ,tamen harum præceptionum ignoratio Chryſippum,Diodorum,Ciceronem ipſum, tantos nempe dialecticos in ſentẽtias tam impias impulit, ut crederent, ſi diſjunctio neceſſaria eſſet, partes quoque diſjunctionis alteram neceſſario falſam,alteram veram neceſſario, id eſt,alteram neceſſariam, alteram impoſſibilem eſſe: itaque ille immutabilem & ſempiternam ſeriem, hi ſempiternam omnis veritatis neceſſitatem cõfirmarent: Cicero tamen utrunque & enuntiationis & anteceſſionis argumentum perſequitur, illud ex ſe inconſtanter, hoc conſtanter à Carneade. Carneades autem veluti coryphæus(fuit enim philoſophorum omnium diſputator acerrimus) adverſus Chryſippum poſtremus inducitur. Hic fatum una ſumma ratione tollebat,quia fato poſito nihil eſſet in noſtra poteſtate: ſed præcipuè cõtra divinationẽ diſputabat,nec divinationem ſine fato poſſe conſiſtere concluſionibus contortis efficiebat. Itaque Deo divinationem &omnem rerum contingentium ſcientiam adimebat. Tantam Carneadis impietatẽ Cicero probavit, & quod magis mirere,tandem tam confuſis opinionem quaſi fluctibus obrueretur,ad Chryſippeos ſcopulos ejectus,Chryſippi fatum fallaci & captioſo arbitrio comprobavit. Sic tota de fato quæſtio diſceptatur, ut per iſtam Ciceronis logicam neſcias utrum Poſidonii, Chryſippi, à quibus fatum defenditur: an Diodori, Epicuri,Carneadis,à quibus fatum accuſatur: an Ciceronis, à quo hæc contro-

Digitized by Google

verſia diſceptatur & judicatur, gravior culpa ſit. At dici fortaſſe pro Cicerone judice poteſt, librum injuria temporis valde corruptum, totamque philoſophiam Ciceronis locis communibus, & quidem Academica licentia declamatis eſſe compoſitam: ideoque in ea Ciceronis judicium requirendum non eſſe, ſed potius ex divina tanti oratoris eloquentia liberalem, quendam orationis fructum excerpendum. Fateor, inquam, truncum eſſe librum: ut initio confirmatione Poſidonii & Chryſippi tota, & in his ſenilibus, Academiciſque declamationibus magis oblectationem temporis & eloquentiæ exercitationem, quám rerum accuratam æſtimationem Ciceroni propoſitam fuiſſe, ut ſi quid reprehendendum ſit, non potius Ciceronem quám Græcos philoſophos (á quibus per otium rerum forenſium ſcholas iſtas transferebat) reprehendi cõveniat: nec tamen ſi quid hic falſum vel impium ſit, iccirco etiam laudandum vel approbandum judico: tantam veró Ciceronis eloquentiam eſſe, non ſolúm fateor, ſed etiam prædico, ut mihi vel ſi res alieniſſimas tractaret, tamen propter divinum orationis ornatum legendus & cognoſcendus, & in eo modis omnibus imitãdus eſſe videretur. Veruntamen ut Ciceronem oratorem ſummum eſſe concedo, ita ſummum dialecticum eſſe confiteri non poſſum: quamobrem autem, é rebus ipſis in Brutinis antea quæſtionibus, & nunc in hac de Fato quæſtione patefacio & commonſtro. Sed de his ſatis: Ciceronem de fato differentem audiamus.

M. TULLII

Digitized by Google

M. TULLII CICERONIS
DE FATO LIBER.

QUIA *pertinet ad mores (quos ἤθη Græci vocant, nos eam partem philoſophiæ de moribus appellare ſolemus, ſed decet augẽtem linguam Latinam, nominare moralem) explicãda vis eſt, ratioque enuntiationum (quæ Græci ἀξιώματα vocant) quæ de re futura quum aliquid dicunt, deque eo quod poſſit fieri aut non poſſit, quam vim habeant, obſcura quæſtio eſt, quam περὶ δυνατῶν Philoſophi appellant, totaque eſt logicæ, quam rationem diſſerendi voco.*

PROPONUNTUR in exordio duæ cauſſæ ſuſceptæ diſputationis hujus: altera eſt quia pertineat ad moralem philoſophiam fati diſquiſitio, quia ſi fatalis illa neceſſitas eſſet, fruſtrà præciperetur de moribus, qui præceptis adjuvari nil poſſent: altera eſt & præcipua, quód conjunctione philoſophiæ fiat uberior eloquẽtia. Liber ſine principio ſi cuipiam videatur, quód ad abſolutionem ſententiæ aliquid deſit, ut verbi gratia: De fato nobis ſcribendum eſt, quia pertinet ad mores: falſa cauſſa videbitur, quia Ciceronis oratio, ſyntaxim hanc habet: Explicanda vis eſt enuntiationum, quia pertinet ad mores. Ponitur autem quæſtio ipſa initio, quód περὶ δυνατῶν, id eſt, (ut in ſchola vulgus loquitur) de futuris contingentibus, in hoc libro diſputatio ſit futura. Ἤθη] ἦθος ſignificat mores, id eſt, virtutes, vitia, omnes denique habitus & affectus animi: cujus proprio nomine, ut Quintilianus lib. 6. ſentit, caret ſermo Romanus. *Quos ἤθη*] Hæc parentheſis ad rationem novati verbi (moralem) attinet, qualia Cicero in philoſophia multa novavit, ut beatitudo, beatitas, [handwritten margin: uerba à Cic. nouata.] comprehenſio, retentio ſententiæ, inane, inanitas, individuum: de qua novitate Cicero ipſe in primo Academico, & tertio de Finibus, & Plutarchus in Cicerone. Cicero hic igitur ἠθικὴν philoſophiã nouo nomine reddit moralẽ, quod ſuperiores periphraſi dicebant, de moribus. *Appellare ſolemus*] Clauſula eſt carminis heroïci, vitioſa nec imitanda. *Enuntiationum*] Enuntiationis verbum videtur etiã

in hanc ſaltem ſententiam, ut oratio ſit verum falſumve ſignificãs, Latinis tum inuſitatum fuiſſe, & factum á Cicerone: appellatur autem etiam hoc in libro enuntiatum & pronũtiatio: aliis locis pronuntiatum, effatum. Ariſtoteles ἀπόφανσιν καὶ πρότασιν, enuntiationem & propoſitionem: aliquando θέσιν, ὑπόθεσιν, αἴτημα, ἀξίωμα, λῆμμα, λῆψιν, poſitionem, ſuppoſitionem, poſtulatum, ſumptum, ſumptionem vocat. Enuntiationum autem verarum genera ipſe Ariſtoteles in Logicis duo facit, ἀναγκαῖον καὶ δυνατὸν, neceſſarium & poſſibile. Poſſibiles enuntiationes vocat contingentes, & ita definit, ut earum affirmatio in negationem, viciſſimque negatio in affirmationem cõvertatur. Sic enim ait 12. cap. 1. pr. συμβαίνει πάσας τὰς κατὰ τὸ ἐνδέχεσθαι προτάσεις ἀντιστρέφειν ἀλλήλαις. Ex qua definitione Ariſtotelis, ſi propius attendatur, patebit Ciceronis definitionem vitioſam eſſe, quæ omnium enuntiationum eſt communis, etiam neceſſariarum & impoſſibilium, non ſolúm poſſibilium & contingentium, quia & neceſſaria & impoſſibilia poſſunt fieri, aut non poſſunt. Aliud autem eſt copulatio contradicentium poſſe & fieri & non fieri, aliud disjunctio poſſe fieri aut non fieri. Veré autem δυνατὸν & ἐνδεχόμενον definiretur, quod poſſit fieri & non fieri poſſit. Quamobrem Cicero in diſputationis ſuæ propoſito & titulo labitur: ut minus mirum ſit in ſequẽtibus tam ſæpe lapſum eſſe. Eſt autem hic fati quædam definitio, quia de rebus neceſſariis vel impoſſibilibus quæſtio nulla eſt, ſed utrum ἐνδεχόμενα, καὶ δυνατὰ contingentia & poſſibilia quæ dicuntur etiam revera ſunt neceſſaria, ſi futura ſint, vel impoſſibilia, ſi non ſint. *obſcura*] Omnium quæſtionum quæ in philoſophia & religione tractatæ unquam ſunt, hæc maxima ſemper fuit. Nam ſi fatalis eſt neceſſitas, nullum numen divinum, nulla libertas hominum, nullum arbitriũ liberum eſt. περὶ δυνατῶν] Titulus fuit Græcis philoſophis uſitatus in hac quæſtione, ſicut eſt hodie Chriſtianis de libero arbitrio, quod Græco etiam verbo ob id fortaſſe Cicero propoſuit: vel quia poſſibile, quo tamen erat uſus Plautus, durum illi videbatur. δυνατὸν autem & ἀδύνατον Cicero pro domo, & in Timæo dicit Latiné fas & nefas. Pro domo, Q. Catule negabas fas eſſe duos conſules eſſe in hac civitate inimicos reipub. In Timæo locum illum Platonis εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν, Indicare in vulgus nefas, convertit: quomodo Cæſar & Horatius aliquando loquuntur. περὶ δυνατῶν] In titulis librorum articulus adhiberi nõ ſolet, adhibetur tamen aliquando. Sic enim Ariſtoteles inſcripſit περὶ τῆς προνοίας. Ariſtippus περὶ τῆς παιδείας. Epicurus περὶ τῆς ἀρχῆς. Chryſippus περὶ τῆς ῥητορικῆς. Idem περὶ τῆς ἀνωμαλίας. Galenus περὶ τῆς ἀποδείξεως. *Logicæ*] Logica & Dialectica idem ſunt, & eandem artem tum inventionis in argumẽtis, tum diſpoſitionis in propoſitione, ſyllogiſmo & methodo

thodo ſignificant: ut in dialecticis noſtris ampliſſime leges: alicubi tamen Cicero cúm de Stoicis loquitur, diſpoſitionem ſyllogiſmi dialecticam vocat, ut in Topicis, & oratorio ſecũdo, quia Stoici ſolum ſyllogiſmum, quo judicium fieret, tractabant. At idem Cicero etiam in Oratore dialecticam vocat totam invẽtionis & judicii artem. Quod veró Tullius ait hanc quæſtionem totam eſſe logicæ, id multis quidem partibus eſt verum, ut qui logicam accuraté didicerit, poſſit pleraque in hoc libro dijudicare: qualis eſt elenchus definitionis proximæ: qualia ſunt feré toto libro ſophiſmata aut quæ refellũtur á Cicerone, aut quæ ab eo ipſo fiunt: aſtrologica paucula ſunt: phyſica cõplura. Quod autem Cicero ait hãc quæſtionem de futuris contingentibus totam eſſe logicæ, non ait duas quæſtiones eſſe, alteram moralem, περὶ τῆς εἱμαρμένης, de fato, alteram logicam, περὶ δυνατῶν, cúm περὶ δυνατῶν fati gratia diſputet, totamque & de fato, & περὶ δυνατῶν quæſtionem moralem judicet: eandemque etiam logicã, quia hanc quæſtionem æſtimare, & futuri contingentis vim rationemque explicare, logicæ proprium eſt: & ſic in logica ab Ariſtotele περὶ τῆς ἑρμηνείας diſputatur, quomodo futuri contingentis contradictio ſit vera. λογικὴ autem pro logicæ ſi legatur, quia hæc diſputatio dialectica quædam ſit, ratio lectionis perridicula fuerit: nec enim hic ars dialectica docetur, quanvis de ejus quibuſdam præceptis altercatio ſit, & plané falſus ſit ſenſus. Tota quæſtio eſt logica, ſi logica, ſubſtantivum ſit, cúm hic permulta phyſica ſint.

Quod autem in aliis libris feci, qui ſunt de Natura deorum, itemq; in his quos de Divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id á quoque probaretur, quod cuique maximé probabile videretur, id in hac diſputatione de Fato, caſus quidam ne facerem, impedivit. Nam quum eſſem in Puteolano, Hirtiuſque noſter Conſul deſignatus iiſdem in locis vir nobis amiciſsimus, & iis ſtudiis, in quibus nos á pueritia viximus, deditus, multum uná eramus, maximé nos quidem exquirentes ea conſilia, quæ ad pacem & ad concordiam civium pertinerent. Quum enim omnes poſt interitum Cæſaris novarum perturbationum cauſſæ quæri viderentur, hiſque eſſe occurrendum putaremus, omnis feré noſtra in his deli-

berationibus conſumebatur oratio: idque & ſæpe aliás, & quodam liberiore quám ſolebat, & magis vacuo ab interventoribus die, quum ad me ille veniſſet, primó ea quæ erát quotidiana, & quaſi legitima nobis de pace & de otio.

Quod autem] Prolepſis, quód hæc de fato diſputatio non in utranque partem diſputetur perpetua oratione, cui reſpondetur ex decori ratione, quia ſolus Hirtius aderat, qui Tullium philoſophãtem audire cuperet, nullus aderat qui contradiceret: Hirtius enim diſcipulus Ciceronis fuit, ut mox dicetur. Diſſeritur autem res in utramque partem: & pro fato, & contra fatum, ſed non oratione perpetua, & ab uno Cicerone non á diverſis. *Utranque partem*] Academiæ novæ (quam Cicero maximé probavit) mos hic fuit, nullam ſectam præcipué ſequi, quod in omnibus veriſimile eſſet, conſectari: quod aliquando fiebat diſputando in utranque partem, ut in tribus libris de Natura deorum, in duobus de Divinatione: aliquando tractando & diſputando ſine contradictione, quod probabile videretur, ut in Officiis, in Paradoxis, in Catone, ut hic de Fato. vide his de rebus Audomari Talæi Academiam. *Puteolano*] Notat reliquas circunſtantias, tum locum (habuit veró Cicero prædia etiam alia, ut Cumanum, ubi Academicæ quæſtiones: & Tuſculanũ, ubi Tuſculanæ ſcriptæ ſunt: notat autem Blondus Ciceronis villas octodecim) tum etiam tempus poſt interitum Cæſaris valde conturbatum. Sic antea in bellis civilibus ad Demetrii magnetis exemplum περὶ ὁμονοίας commentatus erat Tullius, ad quam Pompejum & Cæſarem cohortaretur: ſic poſtea Cæſare interempto, jecit fundaméta pacis in templo Telluris, & ἀμνηστίαν uſurpavit, ut eſt 1. Philipp. *Interventoribus*] Interventores appellat alibi interpellatores, ut ad Atticum. Sed interpellatores illic minus moleſti. & in Officiis: Dictitat ſe hortulos emere velle, ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſit.

Quibus acceptis, Quid ergo, inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut ſpero, reliquiſti, ſed certé philoſophiam illis anteposuiſti, poſſum ne aliquid audire? Tu veró, inquam, vel audire, vel dicere. Nec enim (quod recte exiſtimas) oratoria illa ſtudia deſerui, quibus etiam te incendi, quanquam flagrantiſſimum acceperam: nec ea quæ nunc tracto, minuunt, ſed augent potius illam

faculta-

facultatem. Nam cúm hoc genere philoſophiæ quod nos ſequimur, magnam habet orator ſocietatẽ. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur, & ei viciſſim reddit ubertatem orationis, & ornamenta dicendi. Quamobrem, inquam, quoniam utriuſq; ſtudii noſtra poſſeſſio eſt, hodie utro frui malis, optio ſit tua. Tum Hirtius, Gratiſſimum, inquit, & tuorum omnium ſimile: nihil enim unquã abnuit meo ſtudio voluntas tua. Sed quoniam mihi rhetorica veſtra ſat nota, teque in his & audivimus ſæpe, & audiemus, atque hanc Academicorum contra propoſitum diſputandi conſuetudinem indicãt te ſuſcepiſſe Tuſculanæ diſputationes, proponere aliquid ad quod audiam, ſi tibi non eſt moleſtũ, volo. An mihi, inquam, poteſt quicquam eſſe moleſtum, quod tibi gratum futurum ſit? Sed ita audies, ut Romanum hominem: ut timide ingredientẽ ad hoc genus diſputandi, ut longo intervallo hæc ſtudia repetentem. Ita, inquit, audiam te diſputantem, ut ea lego quæ ſcripſiſti: proinde ordire.

Quibus acceptis] Altera & præcipua diſputationis hujus occaſio, quia philoſophiæ conjunctione augeatur eloquẽtia. Sic prima Tuſculana ait, Ariſtotelis exemplo ſe cum eloquentia philoſophiam conjungere: & in Oratore negat eloquentiam perfectam fore ſine philoſophia. In Ciceroniano collegimus Ciceronem græcé & latiné declamaſſe ad ultimum vitæ diem, ut de Plutarchi errore appareat, qui ad præturam tantúm arbitratur. Decorum autẽ in perſonis interea notandũ eſt, ut modeſté quæratur, ut liberaliter reſpondeatur, ut diſcipulus quanvis flagrantiſſimus, á magiſtro tamen incendatur. Fuit autem Hirtius etiam tum Cos. deſignatus Ciceronis diſcipulus, ut 9. lib. ad Papyrium ſcribit Cicero: Hirtium, inquit, & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, cœnandi magiſtros. Puto enim te audiſſe, ſi forté ad vos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare. Panſam, Balbum, Oppium, Caſſium, alioſque eodem tempore inſtituit Cicero, quorum conſuetudine iterum in repub. plurimum valuit. *Subtilitatem*] Hæc vera eſt dialecticæ, & rhetoricæ diſtinctio: ſubtilitas enim & inven-

tionis in cogitandis argumẽtis,& prudentia diſpoſitionis in enuntiatione,ſyllogiſmo & methodo, tota eſt philoſophiæ dialecticæ, & logicæ, ad quam tota feré pertinet iſta diſputatio, ut initio dictum eſt: Ornatus autem elocutionis in tropis, figuris: & pronuntiationis in voce & geſtu totus eſt rhetoricæ & omnino proprius: & ut inventio & diſpoſitio dialecticæ,ſic elocutio & pronuntiatio rhetoricæ: Sed hanc diſtinctionem tam accuratam non videtur Cicero intellexiſſe,qui aliis in libris vanam illam Ariſtotelis & Zenonis diſtinctionem(de qua in Brutinis quæſtionibus abundé dictum eſt)ſequatur, quòd Dialectica ſit eloquentia conſtricta & contracta: Rhetorica, dilatata dialectica. *Tuſculanæ*] In Tuſculana villa habitæ:quæ tamen non omnes habent illã perpetuæ orationis contradictionem,cujus gratia prolepſis facta eſt. *Gratiſſimum*] Laudat Hirtius Ciceronis liberalitatem, & optionis ſibi factæ partem alteram removet,ut retineat alteram. Diſjuncti autẽ ſyllogiſmi quædam vis eſt hic incluſa. Aut philoſophemur aut declamemus, ait Cicero: Non declamemus (ait Hirtius) ſed philoſophemur. *An mihi*] Concludit exordium modeſta & decora ſui extenuatione. *Romanum*] Quia Romani militaribus & politicis ſtudiis magis erant dediti quám ſcholaſticis diſputationibus. Itaque Romanum dicit non de ſchola atque á magiſtro ſcholaſticiſque artibus eruditum, ut oratorio ſecundo loquitur. Hinc ad diſputationem (quæ nunc extat)magna lacuna interjecta eſt. Nec enim quæſtio de more ponitur,quæ fuerat ante illa, Proinde ordire. & apparet contra Stoicos fati aſſertores, Poſidonium & Chryſippum fuiſſe diſputatum, quia de Poſidonii argumentis quædam hic recolliguntur: & Cicero ipſe tandem dicet, Videamus in aſſenſionibus,quas prima oratione tractavi. At de aſſenſionibus hic nullum verbum eſt.

** Conſideramus Hirti: quorum in aliis,ut in Antipatro poëta,ut in brumali die natis, ut in ſimul ægrotantibus fratribus,ut in urina, ut in unguibus, ut in reliquis ejuſmodi, naturæ contagio valeret, quam ego non tollo, vis eſt nulla fatalis: in aliis autem fortuita quædã eſſe poſſunt, ut in illo naufrago,ut in Icadio,ut in Daphita. Quædam etiam Poſidonius(pace magiſtri dixerim)comminiſci videtur. Sunt, inquam, quidem abſurda. Quid enim ſi Daphitæ fatum fuit de equo cadere, atque ita perire? ex hoc ne equo, qui,*

quum

quum equus non eſſet, nomen habebat alienũ? aut Philippus haſce in capulo quadrigulas vitare monebatur? Quaſi veró capulo ſit occiſus. Quid autem hoc, magnum, & naufragum illum ſine nomine in rivo eſſe lapſum? quanquam huic quidem hic ſcribit prædictũ, in aqua eſſe pereundum. Ne hercule Icadii quidẽ prædonis video fatũ ullum. Nihil enim ſcribit ei prædictum. Quid mirum igitur, ex ſpelunca ſaxum in crura ejus incidiſſe? Puto enim, etiam ſi Icadius tum in ſpelunca non fuiſſet, ſaxum tamen illud caſurum fuiſſe. Nam aut nihil omnino eſt fortuitum, aut hoc ipſum potuit evenire fortuna. Quæro igitur, atque hoc laté patebit, ſi fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis eſſet, & forte, temere, caſu aut pleraque fierent, a ut omnia: num aliter ac nunc eveniũt, evenirent? Quid ergo attinet inculcare fatum, quum ſine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur?

Conſideramus] Sequitur igitur fati aſſertio ex duabus ſententiis Poſidonii & Chryſippi, Prima eſt Poſidonii, qui confirmare voluit fatum contagione naturæ & ſiderum affectione, ſicuti pauló póſt ex Auguſtino magis intelligetur: quæ ſententia valde abſurda eſt, & hic veré reprehenſa: ſic enim reſpondetur Poſidonii exemplis ad confirmandum fatum productis, ut ea partim ad cauſſas naturales referantur, partim ad fortuitas, partim etiam, ut falſa & commentitia, rejiciantur. Poſidonius autem Stoicus imprimis nobilis fuit, de quo Cicero 2. Tuſculana, ad quem audiendum licet ægrotum & in lectulo jacentem, tamen Rhodum divertit Põpejus tum oriẽtis ſpoliis & victoriis ſuperbus: intraturuſque fores de more percuti á lictore vetuit, & faſces lictorios januæ ſummiſit is, cui ſe oriẽs occidenſque ſummiſerat. Pl. 7. lib. 30. cap. Cicero autem gloriatur 2. de Nat. deorum ſe doctoris hujus diſcipulum fuiſſe, Principes (ait) illi Diodorus Philo, Antiochus Poſidonius, á quibus inſtituti ſumus. Scripſerat autẽ quinque libros de divinatione Poſidonius, ut eſt 1. de Div. ubi & de fato eſſe potuit, quia divinatio illis erat á deo, fato, natura, ut eſt 2. de Div. Huic Marcus Tullius ſui conſulatus hiſtoriam ſcribendam tradidit, ſed ille commentario Cice-

ronis deterritus eſt, ut eſt in prima epiſtola 2. lib. ad Atticum. *Antipatro*] Antipater Sidonius, poëta omnibus annis uno die natali tantúm corripiebatur febre, & eo conſumptus eſt ſatis longa ſenecta, Plin. lib. 7. cap. 51. Et Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. At poëta Antipater Sidonius omnibus annis, uno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur: cumque ad ultimam ætatem perveniſſet, natali ſuo certo illo circuitu morbi cõſumptus eſt. *Brumali die nati*] Quo pulegium floret in carnariis, ait Plin. lib. 18. cap. 25. quod idem ait Cic. 2. de Divinat. Cancer & Capricornus portæ cæli dictæ ſunt: Cancer hominum, quia per eum deſcenſus eſſet animis in terras: Capricornus deorum, quia per eum animæ in propriam immortalitatis ſedem & in deorum numerum reverterentur. Hinc igitur potuit aſtrologicum eſſe θεώρημα quoddã de natis Brumali die, ut erit poſtea de natis oriente Canicula, quod á Chaldæis videtur profectum, qui de natali cujuſque ita divinabant ut poſtea magis intelligetur. Chaldæis veró in prædictione & notatione cujuſque vitæ ex natali die minime credendum eſſe Eudoxus diſſeruit, ut eſt 2. de Div. *Fratribus*] De fratribus ſimul ægrotantibus ſcribit Auguſtinus de civitate Dei lib. 5. cap. 2. & 3. quæ ad verbum ſubjeci, ut ſaltem de amiſſa Ciceronis ſententia poſſet aliquid intelligi. ſic igitur ait Auguſtinus: Cicero dicit Hippocratem nobiliſſimum medicum, ſcriptum reliquiſſe, quoſdam fratres cum ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingraveſceret, eodem levaretur, geminos ſuſpicatum: Quos Poſidonius Stoicus multum aſtrologiæ deditus, eadem conſtitutione aſtrorũ natos, eademque cõceptos ſolebat aſſerere. Ita, quod medicus pertinere credebat ad ſimillimam temperiem valetudinis: hoc philoſophus aſtrologus ad vim conſtitutionemque ſiderum, quæ fuerat quo tempore concepti natique ſunt. In hac cauſſa multo eſt acceptabilior, & de proximo credibilior conjectura medicinalis: quoniam parentes, ut erant corpore affecti dum concumberent, ita primordia conceptorum affici potuerunt, ut conſecutis ex materno corpore prioribus incrementis, paris valetudinis naſcerentur: deinde in una domo eiſdem alimentis nutriti, ubi aërem & loci poſitionem, & vim aquarum plurimum valere ad corpus vel bene, vel male accipiendum medicina teſtatur: eiſdem etiam exercitationibus aſſuefacti, tam ſimilia corpora gererent, ut etiam ad ægrotandum uno tempore, eiſdemque cauſſis ſimiliter moverentur. Conſtitutionem veró cæli ac ſiderum, quæ fuit quando concepti, ſive nati ſunt, velle trahere ad iſtam ægrotandi parilitatem, cum tam multa diverſiſſimi generis animalia, diverſiſſimorum affectuum & eventuum eodẽ tempore in unius regionis terra, eidem cælo ſubdita

dita,potuerunt concipi & naſci,neſcio cujus ſit inſolentiæ.Nos autem novimus geminos non ſolúm actus & peregrinationes habere diverſas, verum etiam diſpares ægritudines perpeti. De qua re facillimam, quantum mihi videtur, rationem redderet Hippocrates,diverſis alimentis & exercitationibus,quæ nõ de corporis temperatione, ſed de animi voluntate veniunt, diſſimiles eis accidere potuiſſe valetudines. Porró autem Poſidonius, vel quilibet fatalium ſiderum aſſertor, mirum ſi poteſt hic invenire quid dicat, ſi nolit imperitorum mentibus, in eis quas neſciunt rebus illudere. Quod enim conantur efficere de intervallo exigui temporis, quod inter ſe gemini dum naſcerentur habuerunt, propter cæli particulam,ubi ponitur horæ notatio,quam horoſcopum vocant: aut non tantúm valet, quanta invenitur in geminorum voluntatibus, actibus,moribus, caſibuſque diverſitas: aut plus etiam valet,quám eſt geminorum vel humilitas generis eadem,vel nobilitas:cujus maximam diverſitatem non niſi in hora,qua quiſque naſcitur, ponunt. Ac per hoc ſi tam celeriter alter poſt alterũ naſcitur,ut eadem pars horoſcopi maneat:cuncta paria quæro,quæ in nullis poſſunt geminis inveniri: ſi autem ſequentis tarditas horoſcopum mutat, parẽtes diverſos quæro, quos gemini habere non poſſunt. Fruſtra itaque affertur nobile illud commentum de figuli rota,quod reſpondiſſe ferũt Nigidium hac quæſtione turbatum, unde & Figulus appellatus eſt. Dum enim rotam figuli vi quanta potuit intorſiſſet, currente illa bis numero de atramẽto,tanquam uno ejus loco ſumma celeritate percuſſit: deinde inventa ſunt ſigna,quæ fixerat deſiſtente motu, non parvo intervallo in rotæ illius extremitate diſtãtia. Sic,inquit,in tanta cæli rapacitate, etiamſi alter poſt alterum tanta celeritate naſcatur,quãta rotam bis ipſe percuſſi, in cæli ſpatio plurimum eſt.Hinc ſunt,inquit,quæcunque diſſimillima perhibentur, in moribus caſibuſque geminorum. Hoc figmentum fragilius eſt,quám vaſa quæ illa rotatione finguntur.Nam ſi tam multum in cælo intereſt, quod conſtellationibus comprehendi nõ poteſt,ut alteri geminorum hæreditas obveniat, alteri non obveniat, cur audent cæteris qui gemini non ſunt, cúm inſpexerint eorum conſtellationes,talia pronuntiare, quæ ad illud ſecretum pertinẽt, quod nemo poteſt comprehendere,& momẽtis annotare naſcentium? Si autem propterea talia dicunt in aliorum genituris, quia hæc ad productiora ſpatia temporum pertinent: momẽta veró illa partium minutarum,quæ inter ſe poſſunt habere gemini naſcentes, rebus minimis tribuuntur, de qualibus mathematici non ſolent conſuli. Quis enim conſulat, quando ſedeat, quando deambulet, quando vel quid prandeat: nunquid iſta dicimus quando in mori-

bus,operibus, caſibuſque geminorum plurima, plurimumque diverſa monſtramus? Hactenus Auguſtinus,quo etiam in libro multa alia diſputantur adverſus aſtrologos,non minus elegãter & magnificé quam graviter & veré,quód ſtellæ nec á ſe,nec à Deo talem potentiam habeant,ut noſtros animos vi ſua vel ad vitia vel ad virtutes cogant,totumque mathematicorum fatum acutiſſimis & veriſſimis argumentis accuſat & condemnat. *Urina*] Ex urina & unguibus medici permulta augurantur,Plinius lib. 26. cap. 6. Auguria valetudinis ex urina traduntur: ſi mane candida, dein ruffa ſit, illo modo concoquere,hoc concoxiſſe ſignificatur: mala ſigna rubræ,peſſima nigræ: mala bullantis & craſſæ, in qua quod ſubſidit, ſi alba eſt, ſignificat circa articulos aut viſcera dolorem imminere: eadem viridis,morbum viſcerum, pallida bilis, rubens ſanguinis, mala & in qua veluti furfures atque nubeculæ apparẽt: diluta quoque alba vitioſa eſt,mortifera veró craſſa,gravi odore,& in pueris, tenuis ac diluta.Michaël Angelus Blondus in phyſiognomonia ex unguibus ſigna varia colligit: é mollibus ingenium, curvis & concavis imprudentiam & ignorantiam,candidis probitatem, honores,opes,é nigris cõtraria,é deciduis lepram. *Contagio*] Contactus, contagium,contages,contagio idem: Cúm veró mundi partes aliæ contingantur ab aliis,ſi non corpore certé facultate ſua & qualitate. Hinc contagio naturæ conſenſus,concentus,cognatio quæ græcis συμπάθεια,ut Cic. 2. de Div. interpretatur. *Icadio*] De Icadio prædone ſaxi ruina interfecto, Cicero pauló póſt. *Daphita*] De Daphita Valerius ibidem,quem Daphidam vocat,ita ſcribit: Non invitus huic ſubnecto Daphidam, ne quis ignoret, quantum interfuerit ceciniſſe deorum laudes,& numen obtrectaſſe. Hic cum ejus ſtudii eſſet,cujus profeſſores Sophiſtæ vocantur:ineptæ & mordacis opinationis, Apollinem Delphis irridendi cauſſa conſuluit, an equum invenire poſſet,cum omnino nullum habuiſſet.Cujus ex oraculo reddita vox eſt,inventurum equum, ſed ut eo perturbatus periret. Inde cum jocabundus quaſi deluſa ſacrarum ſortium fide reverteretur,incidit in regem Attalum,ſæpenumero á ſe contumelioſis dictis abſentem laceſſitum: ejuſque juſſu ſaxo,cui nomen erat Equi,præcipitatus, ad deos uſque cavillandos demẽtis animi juſta ſupplicia pependit.Strabo ſcribit lib. 14. in Thorace monte crucifixum fuiſſe Daphitam grammaticum,propterea quod reges,verſibus inceſſeret: verſus autem hos ponit,

πορφύρεοι μώλωπες ἀποῤῥινήματα γάζης
Λυσιμάχου, λυδῶν ἄρχετε καὶ Φρυγίης.

Purpurei ſtimuli fex ultima divitiarum
Lyſimachi,Lydos ſubditis & Phrygiam.

Ex

Ex quo natum illud, Cave Thoracem. *Philippus*] De Philippi cæde ſcribit Juſtinus lib. 9. quemadmodum Pauſanias in regem (á quo punitionem ſtupri, per vim ab Attalo ſibi illati impetrare non poſſet) injuriæ ſuæ ultionem converterit. & Valerius de oraculo ſcribit eodem illo loco ſic: Eodem oraculo Macedonũ rex Philippus admonitus, ut á quadrigæ violentia ſalutem ſuam cuſtodiret, toto regno diſjungi currus juſſit, eumque locum, qui in Bœotia Quadriga vocatur, ſemper vitavit: nec tamen denuntiatum periculi genus effugit: nam Pauſanias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam. *Quadrigulas*] Quadrigarũ nomine ſignificatur currus quatuor equis junctus: quales in Circenſibus ludis certabant. Effigies autem quadrigarum ejuſmodi eſt inſignis in marmoreo lavacro in hortis regiæ bellaqueæ: eſt item in ſimulacro urbis Romæ. Hinc ſunt illa Ciceronis: Nec enim in quadrigis eum ſecundum numeraverim, aut tertium, qui vix é carceribus exierit, In Bruto. & ibidem: Sed in te intués Brute, doleo, cujus in adoleſcentiam per medias laudes quaſi quadrigis vehenté, tranſverſa incurrit miſera fortuna reip. Hæc effigies equeſtris in gladii capulo inſculpta, nobilẽ adoleſcentem decebat. Aliquádo idé nomen ſignificat ipſos equos á quibus currus agitur, Colum. lib. 3. cap. 9. unde ſacrorum certaminũ ſtudioſi perniciſſimarum quadrigarũ ſemina diligenti obſervatione cuſtodiunt, & ſpem futurarum victoriarum concipiunt, propagata ſobole generoſi armẽti. Currus etiam poteſt intelligi: præſertim cúm fuerit in Oraculo, ἅρμα φυλάττεσθαι, currum caveto, quo nomine vicus ille Bœotiæ dicebatur, tametſi poteſt ὁμωνυμία in Græco par eſſe. *Quæro igitur*] Concludit refutationem Poſidonii, Cúm omnium propoſitorum exemplorum cauſſæ referri poſſint ad naturam aut fortunam, fato nihil eſt opus.

Sed Poſidonium, ſicut æquum eſt, cum bona gratia dimittamus: ad Chryſippi laqueos revertamur. Cui primum quidem de ipſa rerum contagione reſpondeamus, reliqua poſtea perſequemur. Inter locorum naturas quantum interſit videamus: alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes, in aliis pituitoſos & quaſi redundantes, in aliis exiccatos atque aridos: multaque ſunt alia, quæ inter locum & locum plurimúm differant. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiã putantur Attici: craſſum Thebis, itaque pingues Thebani,

& valentes: tamen neque illud tenue cælum efficiet ut aut Zenonem quis, aut Archeſilam, aut Theophraſtum audiat: neque craſſum, ut Nemea potius quám Iſthmo victoriam petat. Diſjunge longius. Quid enim, loci natura afferre poteſt, ut in porticu Pompeji potius quám in campo ambulemus? tecum, quám cum alio? Idibus potius, quám Calendis?

Sed Poſidonium] Secũda pro fato ſentẽtia ſequitur, quæ eſt Chryſippi. Hic veró fatum ſic definiebat in libro de Providentia, ut eſt apud Gellium: εἱμαρμένη ἐστὶ φυσικὴ σύνταξις τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. Fatum eſt naturalis ſeries rerum omnium, quæ ex æterno tempore ſic aliis aliæ contextæ connexæque ſunt, ut ejuſmodi nexus contextuſque diſſolvi & diſſipari nõ poſſit, ſicut in præfatione dictum eſt. Hanc ſententiam deinceps tractat Cicero, & eam primum refellit, tandem tamen captioſa & fallaci cauſſarum diſtinctione captus approbat. Collegerat igitur Chryſippus ad illam cauſſarum ſeriem ſempiternam demonſtrandam multa argumenta, contagionem naturæ, divinationem, enuntiationis definitionẽ, anteceſſionem cauſſarum. Atque in primo collegerat variorum effectuum naturales cauſſas, quas Cicero, ut antea Poſidonio reſpondit, confitetur ad multas res pertinere, ad omnes autem valere negat. *Revertamur*] Aliquando reverti pro accedere dicitur 3. Agr. De commodo veſtro prius dicam, deinde ad amplitudinem & dignitatem revertar, & ita citatur hic locus á Grammaticis: attamen ſatis conſtat antea de Chryſippi argumentis dictum eſſe, quemadmodum contagione, divinatione, enuntiatione, anteceſſione cauſſarum fatum cõfirmarit, nec omnino iis reſponderetur (ut mox reſpondebitur) niſi antea confirmata eſſent, & par eſt confirmationem fati magnam aliquam præceſſiſſe, ut iſta refutatio ſequeretur. Quare reverti nunc eſt redire. *Inter locorum*] Tale eſt argumentum primo de Divinatione: Sunt partes agrorum aliæ peſtilentes, aliæ ſalubres, aliæ quæ acuta ingenia gignant, aliæ quæ retuſa: quæ omnia fiunt ex cæli varietate, & ex diſparili aſpiratione terrarum. *Tenue cælum*] Ex tenui cælo acumen ingenii naturale eſt, quia ſicuti philoſophi & medici docent, animi mores & affectiones ſequuntur corporis temperaturam, quæ maximam partem ex aëris conſtitutione efficitur. Sic Virgilius, phyſicé ſcilicet fingit purgatis in Elyſio campo animis, & integræ naturæ reſtitutis, aërem eſſe puriorem:

Largior hic campos æther & lumine veſtit

Purpureo,

Purpureo,ſolemque ſuum ſua ſidera norunt.

Valentes] Valentes dixit pro robuſtis. ſic pauló póſt, valentes imbecilline,cõtraria oppoſuit. *Zenonem*] Zeno Stoicæ ſectæ princeps Citicus fuit ex Cypro: Archeſilas Prytaneus ex Æolide: Theophraſtus,Leſbius ſinguli in ſuis ſectis excellentes,Zeno in Stoica, Archeſilaus in Academica,Theophraſtus in Peripatetica. *Nemea*] In Nemea ſylva Achaiæ,certamina ſacra erãt Herculi,ut in Iſthmo Corinthiaco, Neptuno. Iſthmus autem proprié terra eſt anguſta inter duo maria, ut Porthmos,id eſt,fretum, mare anguſtum inter duas terras.hic tropicẽs ſumitur pro Iſthmo Corinthiaco. *Porticu*] Porticus Pompeji ad ſimilitudinẽ amphiteatri Romæ erat ampliſſima cujus meminit Pl. lib. 26. cap. 15. Pompejani amphiteatri cavea toties multiplicata urbe tantoque majore populo ſufficiat large quadraginta millibus.Porticus autẽ erat minus gradus,& in qua erat Pompeji ſtatua juſſu populi cõſtituta, ait Plutarchus in Bruto. De qua Ovid. 1. de Arte:

Tu modo Pompeja lentus ſpatiare ſub umbra,
Cúm ſol herculei terga Leonis adit.

Item Propertius:

Scilicet umbroſis ſordet Pompeja columnis
Porticus,aulæis nobilis Attalicis.

Hæc igitur de porticu Pompeja.

Ut igitur ad quaſdam res natura loci pertinet, & operatur aliquid, ad quaſdam autem nihil: ſic affectio aſtrorum valeat,ſi vis,ad quaſdam res: ad omnes certé non valebit. At enim quoniam in naturis hominum diſſimilitudines ſunt,ut alios dulcia,alios ſubamara delectent, alii libidinoſi,alii iracundi, aut crudeles aut ſuperbi ſint, alii talibus vitiis abhorreant: quoniam igitur,inquit,tantúm natura á natura diſtat,quid mirum eſt has diſſimilitudines ex differentibus cauſſis eſſe factas? Hæc diſſerens,qua de re agatur, & in quo cauſſa conſiſtat, non videt. Non enim ſi alii ad alia propẽſiores ſint propter cauſſas naturales & antecedentes, iccirco etiam noſtrarum voluntatum atque appetitionum ſunt cauſſæ naturales & antecedẽtes. Nam nihil eſſet in noſtra poteſtate, ſi res ita ſe haberet: nunc veró

fatemur, acuti hebetéſne, valentes imbecillíne ſimus, non eſſe id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut ſedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis eſſe: is non videt quæ quanque rem res conſequatur. Ut enim & ingenioſi, & tardi ita naſcantur antecedentibus cauſis, itemque valentes & imbecilli: non ſequitur tamen, ut etiam ſedere eos & ambulare, & rem agere aliquam, principalibus cauſsis definitum & conſtitutum ſit. Stilphonem Megareum philoſophum, acutum ſane hominem, & probatum temporibus illis accepimus: Hunc ſcribunt ipſius familiares & ebrioſum & mulieroſum fuiſſe. Neque hoc ſcribunt vituperantes, ſed potius ad laudem: vitioſam enim naturam ab eo ſic edomitam & compreſſam eſſe doctrina, ut nemo unquam vinolẽtum illum, nemo in eo libidinis veſtigiũ viderit. Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus phyſiognomon, qui ſe profitebatur hominũ mores naturaſque ex corpore, oculis, vultu, fronte, pernoſcere? ſtupidum eſſe Socratem dixit, & bardum, quód jugula concava non haberet, obſtructas eas partes & obturatas eſſe dicebat: addidit etiam mulieroſum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe. Sed hæc ex naturalibus cauſsis vitia naſci poſſunt: extirpari autem & funditus tolli, ut is ipſe qui ad ea propenſus fuerit, á tantis vitiis avocetur, non eſt id poſitũ in naturalibus cauſsis, ſed in volũtate, ſtudio, diſciplina.

Ut igitur] Concludit refutationem contagionis, quód non omnia fiant neceſſitate vel naturæ vel aſtrorum, cauſſaſque naturales diſciplina domari poſſe. *At enim*] Proponit argumentationem Chryſippi, in eaque duo vitia reprehendit, quód alienam rem concludat, non propriam quæſtionem: deinde in conſequentiam propriæ quæſtionis, quia ex ea non ſequatur omnia fato fieri. *In noſtra poteſtate*] Hoc contra Chryſippum valet, qui tametſi fatum probabat,

bat, retinebat ſaltem verbo arbitrium liberum, ut erit in fine libri hujus. *Qui autem*] Diſtinguit adverſus Poſidonium & Chryſippũ, ut anté, effectus naturalium cauſarum, ab effectis voluntariarum: eamque diſtinctionem duobus exemplis illuſtrat, in quibus naturales vitiorum cauſſæ voluntariis ſtudiis edomitæ ſunt. *Ne ut*] Si quis legat, ut ne, argumenti ſenſum neſciet. *Principalibus*] Principales cauſſas vocat abſolutas, & per ſe ſuum opus efficientes, ut in fine hujus libri dicetur. Cauſſarum aliæ ſunt perfectæ & principales, aliæ adjuvantes & proximæ. *Stilphonem*] Stilpho fuit Euclidis diſcipulus, Zenonis Stoici magiſter, cujus vita eſt libro ſecundo apud Laërtium. *Ebrioſum*] Ebrioſus & mulieroſus hic non ſignificant habitum conſuetudine vitioſa comparatũ ad vinum & ad mulieres, ſed naturalem proclivitatẽ, de qua Cicero quarta Tuſculana. *Socratem*] Hæc hiſtoria de Socrate quarta Tuſcul. plenior ſic eſt: Cúm multa in conventu vitia collegiſſet in Socratem Zopyrus, qui ſe naturam cujuſque ex forma perſpicere profitebatur, deriſus eſt á cæteris, qui illa in Socrate vitia non agnoſcerẽt: ab ipſo autem Socrate ſublevatus eſt, cúm illa ſibi ſigna fuiſſe, ſed ratione deiecta eſſe diceret. Quid autem phyſiognomon ſignificet, ſua definitione hic explicatur. Jugulus vel jugulum unde vox halituſque procedit, hinc petere & dare jugulum, id eſt, vitam, quia ſpiritu (cujus organum eſt jugulum) amiſſo vita pereat: Hic autem jugula ſunt concavitates in extrema thoracis parte ſub clavibus, quæ σφαγαὶ græcé dicuntur, Celſus lib. 8. á dextro jugulo ſi id fractum eſt ad alam ſiniſtram, á ſiniſtro ad dextram. *Alcibiades*] Athenienſis princeps, Socratis auditor, dialogis Platonis abundé celebratus. *Sed hæc*] Cõcludit, naturales cauſſas voluntariis ſtudiis domari poſſe.

Quæ tolluntur omnia, ſi vis & natura fati ex divinationis ratione firmabitur. Etenim ſi eſt divinatio quælibet noſtra, á præceptis artis proficiſcitur. Præcepta appello, quæ dicuntur Græcé θεωρήματα. *Non enim credo nullo præcepto aut cæteros artifices verſari in ſuo munere, aut eos qui divinatione utantur, futura prædicere. Sunt igitur aſtrologorũ præcepta hujuſmodi: Si quis, verbi cauſa, oriente Canicula natus eſt, is in mari non morietur. Vigila Chryſippe, ne tuam cauſſam, in qua tibi cum Diodoro valente dialectico magna luctatio eſt, deſeras. Si enim eſt verum quod ita cõ-*

nectitur, Si quis oriente Canicula natus eſt, in mari nō morietur: illud quoque verum eſt, Si Fabius oriente Canicula natus eſt, Fabius in mari non morietur. Pugnant igitur hæc inter ſe, oriente Canicula natum eſſe, & in mari Fabium moriturum: & quoniam certum in Fabio ponitur, ortum eſſe eum Canicula oriente, hæc quoque pugnant, & eſſe Fabium, & in mari eſſe moritutum. Ergo hæc quoque conjunctio eſt ex repugnantibus, & eſt Fabius, & in mari Fabius morietur: quod, ut propoſitum eſt, ne fieri quidem poteſt. Ergo illud, morietur in mari Fabius, ex eo genere eſt, quod fieri non poteſt. Omne igitur quod falſum dicitur in futuro, id fieri non poteſt.

Quæ tolluntur] Diſputatum eſt adhuc contra Chryſippi primum argumentum, ſequitur contra ſecundum, loco tamen trunco valde & mutilo, ſentētia Diodori. Hic autem Diodorus videtur eſſe Cronus cognominatus, qui primus fertur inveniſſe involutum & cornutum diſſerēdi genus, qualis erit imprimis hoc libro ipſius diſputatio. Hic cùm à Stilphone in cōvivio apud Ptolemæum Soterem, dialectica quæſtio quædam propoſita eſſet, & extēplo ſolvere nequiſſet, à rege reprehenſus, & Cronus in jurgio vocatus, convivium deſeruit, egreſſuſque librum de ea quæſtione conſcripſit, vitamque mœrore finivit: vide Laërtium 2. libro. Diodorus etiam peripateticus quidam in Lucullo nominatur. & Diodorus item Stoicus fuit Ciceronis magiſter de quo ibidem: Diodoro quid faciam Stoico, quem à puero audivi, qui mecum vivit tot annos, qui habitat apud me, quem admiror & diligo, qui iſta Antiochea contemnit. 5. Tuſcul. Diodorus cæcus fidibus Pythagoreorū more canebat, & geometriæ munus tuebatur verbis præcipiens dicentibus, unde quó quamque lineam ſcriberent. Ergo tam multiplex Diodorus eſt, neque Cicero definit, & Victorius, ut de nomine tota res incerta ſit, Diodotus hoc loco legit: Si tamen Diodorus legatur, videtur ſuperior aut æqualis ætate Chryſippo fuiſſe, cúm ei Chryſippus reſpondeat. Hactenus veró duæ pro fato ſententiæ fuerunt. Poſidonii & Chryſippi, deinceps tres reliquæ contra: Tertia nempe hujus Diodori qui negavit ullum fatum eſſe, & tamen hoc novi attulit, quód omnia vera etiam neceſſaria diceret, falſa autem impoſſibilia, δυνατὸν καὶ ἐνδεχόμενον nihil relinqueret, quod tamen Chryſippus relinque-

linquebat. Diodorus igitur, ut omnium verorum perpetuam neceſſitatem confirmaret, arripiebat á Stoico divinationem, & in eum retorquebat, diſputabatque quod verum eſſet & futurū, id eſſe neceſſarium: quod non eſſet futurum, idem eſſe impoſſibile neque mutari poſſe. Sententia falſa eſt, multa enim nunquam mutabūtur, quæ mutari tamen poſſunt. At qui talem veritatis omnis neceſſitatem inducit, non minus fatum confirmat, quám qui naturalem & ſempiternam cauſarum ſeriem cōſtituit. Diodori probatio captioſiſſimo ſorite cōtexitur. Ponitur autem hic unum divinationis præceptum ab aſtrologis, cujus ſimilia reliqua omnia Diodorus velit intellligi, ut ſi in uno exemplo, quod verum ſit, ſit etiam neceſſariū, reliqua item divina prædicta ſint quoque neceſſaria: denique omnia divinitus præſcita. *Divinationis*] Divinatio eſt præſenſio rerum futurarum 1. Div. Dicitur autem á divis, ut μαντικὴ græcé á furore, ut eſt 1. de nat. Divinatio eſt artis aut naturæ: artis in extis, monſtris, fulguribus, avibus, aſtris, ſortibus: naturæ, in furore vaticinii, in ſomniis, ut eſt 1. de Div. *Præceptis*] Præcepti verbū videtur in hanc ſententiam novatum eſſe á Cicerone, ut anté enuntiationis verbum novatum eſt. Tametſi in quibuſdā libris (perceptis) legitur: at percepta experientiæ ſunt, unde præcepta & decreta artium oriuntur: & perceptiones atque experientiæ ſunt ſingularum rerum, præcepta generaliū & univerſalium. & ſic Galenus vim verbi in compendio artis empiricæ probavit: ſed idem clarius in libro de optima ſecta θεωρήματος tres proprietates expreſſit, ut ſit verū, cómodum, ἀκόλουθον, conſequens principiis: quod præceptionis eſt artificioſæ non perceptionis & obſervationis empiricæ. *Canicula*] Procyon apud Romanos non habet nomen niſi caniculá hanc velimus intelligi, hoc eſt, minorem canem, ſané ut in aſtris pingitur ait Plinius lib. 18. cap. 28. attamen canicula dicitur ſtella in ore canis majoris, & procyon, vulgo antecanis. Canis autem ortum ſentiunt maria & terræ, multæ veró & feræ: neque eſt ei minor veneratio quam deſcriptis in deos ſtellis, accendique ſolem, & magnam æſtus obtinet cauſſam ait Plinius ibidem. Itaque decretum aſtrologicum aliquod fuerat non periturum mari, qui canicula oriente natus eſſet. *Vigila*] Apoſtrophe ad Chryſippum jocularia, quaſi in hac diſputatione Diodoro ſuccumbentem: allegoria eſt ab athletis. *Si enim*] Sequuntur Diodori laquei adverſus Chryſippum valde contorti: ſorites eſt ſeptem graduum. In primo veritas aſſumitur ſimpliciter: unde ſecundus ſequitur, in tertio, quarto, quinto, repugnantia tanquam neceſſaria aſſumitur, ſed falſo, cum ea tantúm ſit ex hypotheſi: quinto autem multó audaciore fallacia concluditur impoſſibile abſolutum, ſicuti ſexto & ſeptimo. At aſtrologica divinatio non

aliter quám medica quám phyſiognomonica ſtatuitur in rebus cõtingentibus, quæque poſſunt & eſſe & non eſſe. Hæc igitur Diodori ſophiſmatis cornua valde obtuſa ſunt: ubi Cicero dicit connecti enuntiatum, quod conjunctione, ſi, conjungitur, quomodo connexum poſtea ſæpe dicit: & nos á Cicerone hanc proprietatem & elegantiam mutuati ſic in Dialecticis appellavimus. *Conjunctio*] Conjunctio nunc vocatur a Cicerone enuntiatio, conjunctione copulativa (ut grammatici loquuntur) conjuncta. *Omne igitur*] Hic poſtremus ſoritæ gradus captioſe ex falſis concluditur. Atque ex iis nugis apparet, quanta in Chryſippo, & in Diodoro vanitas fuerit, cúm & Diodorus his ſophiſmatis tam plumbeis, pro certis & veris argumentis uteretur: & Chryſippus tamen, ut pauló póſt apparet, his reſpondere non poſſet. Imó veró etiam conſtat Ciceronem, laqueis iſtis valde ſimpliciter irretitũ fuiſſe, qui Diodori ſententiam tam fallacem & falſam ſic approbarit, & Chryſippi hac in re veriſſimam ſententiam improbarit.

At hoc Chryſippe minimé vis, maximeque tibi de hoc ipſo cum Diodoro certamen eſt. Ille enim id ſolúm fieri poſſe dicit, quod aut ſit verum, aut futurum ſit verum: & quicquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe: & quicquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe: Tu & quæ non ſint futura, poſſe fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam ſi id nunquam futurum ſit: neque neceſſe fuiſſe Cypſelum regnare Corinthi, quanquam id milleſimo anté anno Apollinis oraculo editum eſſet. At ſi iſta comprobabis divina prædicta, & quæ falſa in futuris dicentur, in his habemus, ut ea fieri non poſsint: ut ſi dicatur Africanum Carthagine potiturum, & ſi vere dicatur de futuro, idque ita futurum ſit, dicas eſſe neceſſarium: quæ eſt tota Diodori vobis inimica ſententia. Etenim ſi illud veré connectitur, ſi oriente Canicula natus es, in mari non moriere, primumque, quod eſt in connexo, natus es oriente Canicula, neceſſarium eſt: omnia enim vera in præteritis neceſſaria ſunt, ut Chryſippo placet diſſentienti á magiſtro Cleãthe, quia ſunt immutabilia,

tabilia, nec in falſum é vero præterita poſſunt converti: Si igitur quod primúm in connexo eſt, neceſſariũ eſt, ſit etiam quod conſequitur, neceſſarium: quanquam hoc Chryſippo non videtur valere in omnibus: ſed tamen ſi naturalis eſt cauſſa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non poteſt.

Ad hoc] Comparat apertius Diodori Chryſippique ſententiam. *Cypſelum*] Cypſelus tyrannus fuit Corinthiorum, de quo Ariſtoteles bis 5. politico, & Cicero 5. Tuſcul. Demarathus (inquit) Tarquinij regis pater Tyrannum Cypſelum quod ferre non poterat, fugit Tarquinios Corintho, & ibi fortunas ſuas cõſtituit ac liberos procreavit. Hiſtoria narratur apud Herodotum, quomodo genitus ſit ex Aëtione & Labda, & regnum ſit ei prædictum ab Apolline. *Habemus*] Aſſumit Diodoream illam cujuſcunque veritatis neceſſitatem tanquam certam & confeſſam: at cornibus illis jam anté exectis ſophiſma mutilum jacuit. *Africanum*] Scipio major Cartaginem tributariã Romanis reddidit, minor funditus delevit. *Etenim*] Repetit aſtrologicum divinationis exemplum, & complexionem ex eo factam neceſſariam eſſe contendit, ex ſyllogiſmi quadam circunſtantia, in qua ſi vera ſit propoſitio & aſſumptio neceſſaria, neceſſaria quoque ſit cõplexio: quod ἀσυλλόγιστον & captioſum eſt. Nec enim ſi propoſitio ſyllogiſmi vera ſit, aſſumptioq; neceſſaria, cõplexio ideo neceſſaria cõcludetur: ut ſi prædicaretur, omne animal cras eſſe curſurum, idque ita eſſet futurum, hæc enuntiatio veré ex hypotheſi connecteretur: ſi equus eſſet animal, equus curreret, aſſumptióque at equus eſt animal, neceſſaria item eſt, complexio tamen, ergo equus curret, non ideo erit neceſſaria abſoluté, ſed contingens: Tum veró ſi propoſitio etiam neceſſaria eſſet, attamen de genere cõcluſionis etiam quæretur, utrum id firmum eſſet, ſicuti in dialecticis quæſitum eſt à nobis adverſus Ariſtotelem: at propoſitio connexi Diodorei aut Ciceroniani neceſſaria non eſt, imo fallax, ut Eudoxus aſtrologorũ princeps adverſus Chaldæos diſſeruit. Quare dum hoc modo Chryſippum Tullius Diodori ſophiſmate refellit, logicam mirificam nobis oſtendit. *Omnia enim*] Parentheſis interpoſita hyperbaton lõgius efficit, quod laborem Ciceronis in quæſtione ſibi difficiliore laborantis indicat. *Cleanthe*] Cleanthes auditor & ſucceſſor Zenonis Stoici tanta diligentia tantaque induſtria, ut licet ingenio tardus, licet pauper, tamen & naturæ &

D

fortunæ impedimenta vicerit. Nocturnis enim operis diurna philoſophiæ ſtudia ſuſtẽtabat, & ingenij tarditatem exercitationis, & meditationis aſſiduitate ſuperabat. vita eius eſt apud Laërtium. Hic igitur fortaſſe præterita á liberis & contingentibus cauſis profecta ſic abſoluté neceſſaria non putabat, ut quæ á neceſſariis cauſſis eſſent effecta, ut non perinde neceſſarium eſt, Cicero oravit pro Milone, & homo fuit animal. Non enim ſi quid immutabile rebus adjungitur, ita neceſſarium eſt, ut naturales & penitus ingeneratæ cauſæ. Chryſippus aliter accipiebat neceſſitatem, ut quicquid eſſet immutabile, neceſſarium illi videretur. *Si naturalis*] Hic locus logicam Ciceronis imprimis oſtendit, qui, cúm antea tam veré tamque magnificé cõcluſerit in Stilphone & Socrate naturales cauſſas voluntariis domari & comprimi poſſe, nunc tamen tam repugnantia præcipiat: naturalis cauſſa eſt, ait, ergo neceſſaria.

Hoc loco Chryſippus æſtuans falli ſperat Chaldæos, ceteroſque divinos, neque eos uſuros eſſe conjunctionibus, ut ita ſua præcepta pronuntient, Si quis natus eſt oriente Canicula, is in mari non morietur: ſed potius ita dicent, Non & natus eſt quis oriente Canicula, & is in mari morietur. O licentiam jocularem, ne ipſe incidat in Diodorum, docet Chaldæos, quo pacto eos exponere præcepta oporteat. Quæro enim, ſi Chaldæi ita loquãtur, ut negationes infinitarum conjunctionum potius quàm infinita connexa ponant, cur idem medici, cur geometræ, cur reliqui facere non poßint? Medicus in primis, quod erit ei perſpectum in arte, non ita proponet, Si cui venæ ſic moventur, is habet febrem: ſed potius illo modo, Non & huic venæ ſic movẽtur, & is febrem non habet. Itemque geometres non ita dicet, Si in ſphæra maximi orbes ſunt, medij inter ſe dividuntur: ſed potius illo modo, Non & ſunt in ſphæra maximi orbes, & hi non medij inter ſe dividuntur. Quid eſt quod non poßit iſto modo ex connexo transferri ad conjunctionum negationem? Et quidem aliis modis eaſdem res efferre poſſumus. Modó di-

xi,

xi, Si in ſphæra maximi orbes ſunt, medij inter ſe dividuntur: poſſum dicere, quia in ſphæra maximi orbes erũt. Multa ſunt genera enuntiandi, nec vllum diſtortius quám hoc, quo Chryſippus ſperat Chaldæos contentos Stoicorum cauſa fore: illorum tamen nemo ita loquitur. Majus eſt enim, has contortiones orationis, quám ſignorum ortus, obituſque perdiſcere.

Hoc loco] Proponit tandem adverſus Diodori laqueos Chryſippi ſolutionem, ſed ridiculam & ineptam, ideoque eam vehementer deridet, & confutat exemplis diſſentaneis, Non ſic medici, non ſic geometræ, non ſic homines reliqui loquuntur. *Falli*] Videtur pro futuro (falſum iri) poſitum eſſe, cum mox idem dicatur contentos fore. *Chaldæos*] Chaldæi philoſophi erant Aſſyriorum qui habitarunt ad confluentem Tigris & Euphratis. Hos mathematicarum artium inventores eſſe, hiſtoria ſacra teſtatur, ut cõſtat ex Ioſepho, qui ſcribit ab Adamo, Setho, veteribuſque Patriarchis inventas, & á Noëo duabus ingentibus columnis, ne diluvio perirẽt, impreſſas & cõſignatas, tandem per Abrahamum traditas Ægyptiis. Hoc idẽ videtur Cicero confirmare, quum primo de Divinatione Chaldæos recenſet primos inventores aſtrologiæ: Principio Aſſyrij ut ab ultimis authoritatem repetam, propter planitiem magnitudinemque regionum (quas incolebant) cum cælum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motuſque ſtellarum obſervaverunt, quibus notatis quid cuique ſignificaretur, memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſervatione ſyderum putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique eventurum & quo quiſque fato natus eſſet. *Conjunctionibus*] In Topicis conjunctionum negantiam dicit, non & hoc eſt & illud non eſt, & pauló anté cõjunctio ex repugnantibus ſic dicta eſt pro copulatione. Hic fortaſſe in connexionibus legendum fuerat, quia mox conjunctiones connexis opponit. *Infinitarum*] Infinitum pronuntiatũ vocat, quòd Ariſtoteles ἀδιόριστον ἢ ἐν μέρει, indefinitum in ſchola, vel particulare dicitur. *vena*] Vena apud Hippocratem ac Platonem pro arteria ſumitur, quamvis ſextuplo craſſior ſit quám arteria: & ſic omnino antiqui loquebantur, ut Galenus de dictis Hippocratis & Platonis. Inter nervos ait Pl. lib. 11. cap. 37. latent arteriæ, id eſt, ſpiritus ſemi-

tæ)His innatãt venæ,id eſt,ſanguinis riui.Cicero 2. de nat. Venæ & arteriæ micare non deſinunt quaſi quodam igneo motu. *Orbes*]In circulo ſunt lineæ quædam,quæ dividunt circulum in partes æquales: dimetientes vocãtur:quæ ſi plures ſint,mediæ inter ſe dividuntur,aliæ minores illis maximis:ſic in ſphæra,id eſt,globo circuli quidã maximi ſunt,qui ſphærã mediã dividũt,& medii inter ſe dividũtur,ut in cælo æquator,zodiacus,lacteus, meridianus, horizon, coluri:alij ſunt illis minores,ut tropici & arctici.quam ſcientiam Cicero geometriæ tribuit, & quidem recté : generalis enim ſphæræ, ut ſolidorum reliquorum, præceptio geometriæ eſt propria, non aſtrologiæ,cúm globus & terræ & aëris & artificioſarum rerum ſimiliter eſſe poſſit,ut cæli.Sic Euclides,Archimedes Theodoſius de ſphæra præcipiunt cõmuniter nõ de ſphæra cæleſti. *Alio modo*]Poteſt illud idem Chaldæorum præceptum modis omnibus enuntiari primo ſimpliciter,tum generaliter,ut Nullus natus oriente canicula morietur in mari,tum ſpecialiter infinité: vt Aliquis natus oriẽte canicula non morietur in mari : tum proprié Plato natus oriente canicula non morietur in mari: ſecundo compoſité tum copulaté,ut Non & natus eſt quis oriẽte canicula & in mari morietur:tum connexé, ut Si quis natus ſit oriẽte canicula non morietur in mari: tum diſcretivé, Quamuis aliquis natus ſit oriente canicula,non tamen in mari morietur: tum diſiuncté,ut Aut non natus eſt oriente canicula aut non morietur in mari: ijs inquam modis omnibus poterat enuntiari,& Cicero videtur id voluiſſe dicere. *Poſſum*] Hæc duo exempla ſunt imperfecta,& ſi perfecta ſint,non admodũ congruent.Nam primũ,Si in ſphæra maximi orbes erunt,nõ differt genere á ſuperiore,ſed tantũ tẽpore, quia illic eſt(ſunt) hic eſt (erũt.) Secundum autem potius oſtendet enthymema quam enuntiatum. *Multa ſunt*] Exagitat Chryſippeam ſolutionem, quòd illuſtria pronuntiationis genera repudiet, omnium abſurdiſſimum ſequatur. Sunt enim de ſimplicibus pronuntiatis, vel generalia vel ſpecialia: de conjunctis autẽ & copulata, & cõnexa, & diſcreta,& diſiuncta, (de quibus in noſtra Dialectica)illa negantia conjunctionum longe clariora. Artes mathematicæ ut in elemẽtis, multũ utuntur connexis,reliquæ ſimplicibus, generalibus in definiendo, aut compoſitis diſiunctis in partiendo, ars autem nulla utitur negantia conjunctionum.

Sed ad illam Diodori contentionem,quam περὶ δυνατῶν *appellant,revertamur:in qua quid valeat id quod fieri poſſit,anquiritur. Placet igitur Diodoro id ſolum fieri poſſe, quod aut verum ſit,aut verum futurum ſit: qui locus attin-*

git

git hanc quæſtionem: Nihil fieri quod non neceſſe fuerit: & quicquid fieri poßit, id aut eſſe jam, aut futurum eſſe: nec magis commutari ex veris in falſa ea poſſe, quæ futura ſunt, quám ea quæ facta ſunt: ſed in factis immutabilitatem apparere: in futuris quibuſdam, quia non apparent, ne neceſſe quidem videri: ut in eo qui mortifero morbo urgeatur, verum ſit, Hic morietur hoc morbo: at hoc idem ſi vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilominus futurum ſit. Ita fit, ut commutatio ex vero in falſum, ne in futuro quidem vlla fieri poßit. Nam *morietur Scipio, talem vim habet, ut quanquam de futuro dicatur, tamen id non poßit converti in falſum: de homine enim dicitur, cui neceſſe eſt mori. Sic ſi diceretur, morietur noctu in cubiculo ſuo vi oppreſſus Scipio, vere diceretur: Id enim fore diceretur, quod eſſet futurum. Futurum autem fuiſſe, ex eo quia factum eſt, intelligi debet: nec magis erat verum, morietur Scipio, quám morietur illo modo: nec minus neceſſe eſt mori Scipioni, quám illo modo mori: nec magis immutabile ex vero in falſum, necatus eſt Scipio, quám necabitur Scipio.*

Sed ad illam] Luctatus eſt adhuc de fato Tullius contra Poſidonium & Chryſippum conſtanter quidem & fortiter, quód cæleſtes & naturales cauſſæ multa poſſint, non omnia: nec tamen tantū, quin voluntariis cauſſis ſæpe vinci poſſint: ſed valde incōſtanter & infirmé Diodorum Chryſippo præpoſuit, cúm Diodori tota diſputatio captioſa ſit & impia, nec quicquam omnino concludat: Diodori tamen ſententiam ita Cicero perſequitur, quaſi magnificé victus ſit Chryſippus, & ſententiam illam impiam rurſus explicat apertius quám antea. περὶ δυνατῶν] Hic Diodori ſententia plenius oſtenditur, quæ nono Epiſt. famil. libro, epiſt. 4. ſic item proponitur, περὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire, nūc vide utra te κρίσις magis delectet, Χρυσιππεία ne, an hæc quam noſter Diodorus non concoquebat: unde ſententiam videmus Diodori fuiſſe, quod & proximo verſu Cicero affir-

mat. Placet igitur Diodoro, &c. hæc igitur erat Diodori ſententia, quam tamen non cõcoquebat, ut ait in illa epiſt. Cicero, id eſt, non ſatis accuratè judicabat & cõcludebat. *Nec magis*] Declaratur Diodorea ſecta comparatione temporis præteriti cum futuro, quod illic immutabilitas appareat, hic non appareat: immutabilitas vero præteriti (quæ dicitur) item neceſſitas nõ eſt rei ſed tẽporis, quod præteritum revocari non poſſit: itaque longe alia eſt immutabilitas & neceſſitas enuntiati illius, bis bina fuere quatuor: alia hujus, Cicero oravit pro Milone: illa enim eſt ex abſoluta rei natura, hæc tantum ex occaſione & conditione temporis. *Ut ut*] Expoſitio eſt comparationis de morbis duobus, altero apertè neceſſario, altero minus. *Ita fit*] Complexio, quod omne verum futurum ſit neceſſarium. *Nam morietur*] Expoſitio ejuſdem comparationis altera eſt per exempla, item duo alterũ apertè neceſſariũ, alterum occultius. *Scipio*] Scipio Æmilianus tandem ob res geſtas ſuperbus Gracchum jure occiſum reſpondit obſtrepente populo. Taceant (inquit) quibus Italia noverca eſt non mater, & addidit quos ſub corona vendidi. De Memmio collega in cenſura ſegniore dixit, Utinam mihi collegam aut dediſſetis aut non dediſſetis, Suſcepta agrariorum cauſſa domi repentè exanimis inventus obvoluto capite elatus ne livor in ore appareret: ait Plinius de viris Illuſtribus cap. 58. Suſpecta fuit tanquam ei venena dediſſet, Sempronia uxor hujus, maximè quod ſoror eſſet Gracchorũ cum quibus ſimultas Africano fuerat. Livius lib. 59. *Nec magis*] Colligitur triplex comparatio de vero, neceſſario, immutabili. *Verum*] Id falſum eſt, ſi neceſſarium magis verum dicatur quàm cõtinens verum. *Neceſſe*] Falſum autem manifeſtius eſt hoc ſecundum, non magis eſſe neceſſarium mori quàm illo modo mori. *Immutabile*] Hæc item comparatio falſa eſt apertius: futurum autem illud eſt contingens. *Nec minus*] Pro (nec minus neceſſe eſt) videtur legendum (nec magis) comparatio enim hæc ridicula eſſet & à propoſito aliena.

Nec quum hæc ita ſint, eſt cauſſa cur Epicurus fatum extimeſcat, & ab atomis petat præſidium, easque de via deducat, & uno tempore ſuſcipiat res duas inenodabiles: unam, ut ſine cauſſa fiat aliquid, ex quo exiſtet, ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipſi, nec cuiquam phyſico placet: alteram, ut quum duo individua per inanitatem ferantur, alterum è regione moveatur, alterũ declinet. Licet enim

Epicuro

Epicuro concedenti, omne enuntiatum aut verum aut falſum eſſe, nō vereri ne omnia fato fieri ſit neceſſe. Non enim æternis cauſis naturæ neceſsitate manantibus, uerum eſt id, quod ita enuntiatur: Deſcendit in Academiam Carneades, nec tamen ſine cauſsis. Sed intereſt inter cauſas fortuitó antegreſſas, & inter cauſſas cohibentes in ſe efficientiam naturalem. Ita & ſemper verum fuit, morietur Epicurus, quum duos & ſeptuaginta annos vixerit, Archonte Pitharato: neque tamen erant cauſæ fatales cur ita accideret: ſed quód ita cecidiſſet, certé caſurum, ſicut cecidit, fuit. Nec ij qui dicunt immutabilia eſſe, quæ futura ſint, nec poſſe verum futurum converti in falſum, fati neceſsitatem confirmant, ſed verborum vim interpretantur. At qui introducunt cauſſarum ſeriem ſempiternam, hi mētem hominis voluntate libera ſpoliatam, neceſsitate fati devinciunt.

Nec quum hæc] Tres adhuc de fato ſententiæ diſputatæ ſunt, Poſidonii & Chryſippi, qui fatum confirmant, ſed ita vt refutatio magis quædā quám ulla cōfirmatio perciperetur. Tertia fuit Diodori fatum verbo oppugnantis, revera, fatum ſtabilientis & confirmantis. Quarta deinde ſequitur Epicuri. Dialecticam autem totam contempſit Epicurus: mathematicas artes, ſi qui iis artibus eruditi ad eum veniſſent, dedocuit: Ethicam philoſophiam voluptate terminavit: In phyſicis quædā á Democrito ſumpſit, de atomis in infinita inanitate rectis lineis deorſum cadentibus, addidit ex ſe eas aliquantulum declinare, ut ſuis fortuitis adhæſionibus oīa facerent. Ita materiam rerum omnium poſuit in atomis: efficiētem cauſſam fortunæ & temeritati reliquit: deos nullos eſſe aut mortalia non curare, animos mortales eſſe docuit: quæ ſcelerata philoſophia tam multos ſectatores habuit, ut tota Græcia, atque Italia integras urbes ad ſe pelliceret: nec jam Epicurus ut philoſophus audiretur, ſed ut deus quidam coleretur. Hanc ſectam Stoici vehementer inſectati ſunt, & quæ adverſus Epicurum hoc libro Cicero diſputat, ſuſpicor é Stoicis eſſe tranſlata. Fatum itaque tollebat Epicurus, & Stoicam naturalium cauſſarum ſeriem, quia ſine

certa cauſſa fieri credebat omnia. Obſcurior autem eſt logica Ciceronis hoc loco, ubi apparet argumentum fuiſſe Chryſippi ex enuntiati definitione quod neceſſario ſit verum aut falſum, unde fatum concludebat, attamen ex hoc argumento tam ſequebatur fatum non eſſe quàm eſſe: Id veró argumentum Epicurus negabat, & negationis cauſſam repetebat é phyſico atomorum motu, quem triplicem fingebat rectũ ſuo pondere, ſecundum violentum, tertium declinationis, de quibus mox plenius. *Atomus*] Individua pauló póſt Cicero dicet corpuſcula minutiſſima, & iis etiam ſubtiliora, quæ infuſis per rimam aliquam ſolaribus radijs volitant. Atomos, Democritus cõmentus eſt eſſe principia rerum: quem deinde Epicurus eſt imitatus: Contra atomos Ariſtoteles vehemẽter invectus eſt, qui ne lineas quidem ἀτόμους eſſe diſſerit. Sed hac de re phyſicæ ſcholæ loquentur. *Inenodabiles*] Inenodabiles res vocat in Lucullo inexplicabiles: in Univerſitate, indiſſolubiles, Quintilianus lib. quinto inſolubiles. *Res inenodabiles*] De duabus rebus inenodabilibus prior per calumniam duplicem á Stoicis imponitur Epicuro. Nec enim ſine cauſa fieri dicit Epicurus, quod fortuita cauſa dicit fieri, cum fortuita cauſa etiam in cauſarum generibus contineatur: quod Cicero ipſe pauló póſt confirmabit. Nec item fieri de nihilo quicquam dicit, qui confirmat ex atomis omnia fieri: & quidem manifeſtior iſta calumnia fiet, ſi legatur Epicuri epiſtola ad Herodotũ de phyſicis, ubi θεώρημα illud imprimis celebrat Epicurus, Ex nihilo nihil fieri, nec in nihilum quicquam reverti. Quod Epicureus Lucretius etiam notavit 2. lib.

ide Turneb. [illegible] 27.6.

De nihilo, quoniam fieri nil poſſe videmus.

Calumniæ ſunt Stoicorũ, qui Epicuro infenſiſſimi fuerunt, & quem multis ſimilibus confictis maledictis onerarunt, ut ex Laërtio in Epicuri vita percipi poteſt, & Cicero poſtea cum dicet (quam declinationem ſine cauſa fieri, ſi minus verbis, re cogitur confiteri) indicabit id ab Epicuro non eſſe dictum, ſed ex ejus ſententiis collectũ: verum fallaci collectione collectum illud eſt, ut tum etiam demonſtrabo. *Per inanitatem*] Democriti, Leucippi poſteaque Epicuri principia phyſica fuere πλῆρες καὶ κενὸν plenum & inane. inane vel inanitas verbum, ut Plutarchus ait, novatum eſt á Cicerone in philoſophia: qui primus dixit τὴν φαντασίαν καὶ τὴν κατάθεσιν καὶ τὴν ἐποχὴν καὶ τὴν κατάληψιν ἔτι δὲ τὸ ἄτομον τὸ ἀμερὲς, τὸ κενὸν perceptionem, ſuſpenſionem & retentionem & comprehenſionem, præterea individuum, inſecabile, inane: attamen inſecabile quamvis in Quintiliano legatur, non eſt in Cicerone: & Lucretius inani verbo utitur. Sed Lucretius junior quamvis ante mortuus, attamen á ſeniore Cicerone diſcere potuit. *E regione*] Parallelas rectas lineas ejuſmodi appellat

appellat Euclides,quæ in infinitum productæ nunquam concurrũt, quod Epicurus videtur dicere,ſed non ſatis phyſicis illis motibus congruenter à peripheria ad centrum tendentibus. *E regione*] Epicurus cum atomos rerum principia feciſſet, tres motus eorum faciebat,ut Lucretius lib.2.ampliſſimé deſcribit:primus eſt naturalis deorſum,omnium corporum communis,nec enim ullius corporis naturalem motum ſurſum ſtatuebat:

-Nullam rem poſſe ſua vi
Corpoream ſurſum ferri,ſurſumve meare.

Et hoc motu Cicero nunc ait corpora é regione moveri, quod in Tuſculanis dicit, ferri rectis lineis, & ad pares angulos, primo De finibus naturalem omnium corporum motum quo feruntur é regione & ad lineam: pauló póſt ad perpendiculum dicet: Epicurus σταθμὴν,pondus,id eſt,gravitatẽ ſtatuebat hujus motus eſſe cauſſam, eamque corporibus omnibus attribuebat.

Nec tamen hæc quantum eſt in ſe dubitamus,opinor,
Quin vacuum per inane deorſum cuncta ferantur.

Secũdus motus eſt violentus:Itaque ejus cauſſam appellabat πληγὴν, plagam,ictum,quo corpora leviora pellerentur á gravioribus.

Nam quoniam per inane vagantur cuncta neceſſe eſt,
Aut gravitate ſua ferri primordia rerum,
Aut ictu forté alterius,nam cita ſuperne
Obvia cum fluxere,fit ut diverſa repente
Diſſiliant. Et pauló póſt illum violentum motum explicat apertius per partes:

Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis
Commutare viam,retroque repulſa reverti
Nunc huc nunc illuc in cunctas denique partes.

Tertius motus fortuitus eſt, quem παρέγκλισιν,declinationem nominabat,eoque motu corpora minimum declinare de regione ſeu de via,id eſt,á recto motu diſcedere, ut hinc complexiones & copulationes,& adhæſiones atomorum inter ſe fierent,unde efficeretur mundus omneſque partes mundi, quæque in eo eſſent: quos tres motus cúm alias ſæpe Cicero,tum in hoc etiam libro comprehendit. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, cum declinat atomus intervallo minimo,id appellat ἐλάχιστον, ut erit pauló póſt.De tertio motu ſunt etiam Lucretii ſequentia:

Illud in his quoque te rebus cognoſcere avemus:
Corpora cúm deorſum rectum per inane feruntur,
Ponderibus propriis incerto tempore ferme
Incertiſque locis ſpatio decedere paulum:
Tantum quod minimum mutatum dicere poſſis.

Quod niſi declinare ſolerent omnia deorſum,
Imbris uti guttæ caderent per inane profundum:
Nec foret offenſus natus nec plaga creata
Principiis, ita nil unquam natura creaſſet:
Quod ſi forte aliquis credit graviora poteſſe
Corpora, quo citius rectum per inane ferantur,
Incidere è ſupero levioribus, atque ita plagis
Gignere, quæ poßint genitales reddere motus:
Avius á vera longé ratione recedit.

Et rurſum:

Haud igitur poterunt levioribus incidere unquam
Ex ſupero graviora, neque ictus gignere per ſe,
Qui varient motus, per quos natura gerat res.
Quare etiam atque etiam paulum inclinare neceſſ' eſt
Corpora, nec plus quam minimum, ne fingere motus
Obliquos videamur & id res vera refutet.

Sic declinationis ille minimus motus declaratur. *Licet enim*] Hic ſe Cicero patronum præbet Epicuro, & docet eum Chryſippo melius reſpondere potuiſſe ex diſtinctione cauſſarum, quia non ſequeretur, ſi diceret Epicurus fortuitis cauſſis omnia fieri, ut idcirco ſine cauſſis fieri diceret. Hæc ad Epicuri propoſitum Cicero cõſtanter, inconſtanter veró ad ſuum, qui proximo loco id velut inenodabile in Epicuro reprehendebat, quod nunc enodat, & qui Diodorum antea probaverat omnes rerum cauſſas neceſſarias efficientem, nullas fortuitas relinquentem. Nam cum diceret omnia vera eſſe neceſſaria, verum autẽ ſit ex vera cauſſa effectrice verum, certé cauſſas verorum neceſſariorum, neceſſarias efficiebat. *Carneades*] Carneades novæ Academiæ philoſophus, & dialecticus acerrimus fuit, nec ullam rem unquam in ſuis diſputationibus defendit, quam non probarit: nullam oppugnavit, quam non everterit, ut ait Cicero ſecundo oratorio. de hoc poſtea. *Efficientiam*] Efficientia ſignificat non efficiẽtem cauſſam, nec effectum, ſed efficiendi vim, id eſt, efficacitatem, ut in Tuſcul. Cicero, vel efficaciam ut Plinius loquitur. Sic ſecundo de Natura deorum efficientiam ſolis Cicero vocat, qua diem ſol efficit. *Epicurus*] Mortuum hoc anno eſſe Epicurum ſcribit Laertius lib. 10. Quod autẽ Cic. ait (Archõte Pytharato) morẽ Atheniẽſium græca dictione, ſed latiné declinata expreſſit: ut enim Romæ per COSS. faſti præſcribebantur & anni, ſic Athenis per Archontes. Suidas author eſt Archontes fuiſſe novem, & inter eos numerat Theſmothetas. Erant autem Athenis quingenti viri reip. rectores, quorũ decima pars quinquaginta dicebãtur πρυτάνεις, πρυτανεύοντες, qui per orbẽ ſingulis mẽſibus præerãt. Summus igitur ille

ille quinquagintavirum princeps ἡγίμων καὶ ἄρχων dicebatur. Vide Budæum in græcis commentariis. Sic cum de Gallicis quibuſdam propriis rebus Cæſar loquitur, vocabulis Gallicis utitur, forma duntaxat latina expreſſis, ut conſtat de ſolduriis, de Vergobreto Heduorum. & hic notabis Ciceronē dicere Archonte, non autem Arconde, ut hodie vulgo τ. poſt ν profertur. *Nec ij*] Comparat ſecundo loco Diodorum cum Chryſippo, hujuſque ſententiam condemnat, illius approbat, error idem qui prius fuit: & manifeſtius etiam propoſitus, qūi vera omnia: neceſſaria, falſa, impoſſibilia faciunt, non confirmant fati neceſſitatem, ait Cicero: imo vero inquam, fatum confirmant, quia liberis & contingentibus cauſſis, quia hominis arbitrio nil relinquunt, cum neceſſitati omnem veritatem tribuant: & Cicero, ut poſtea apparebit in Carneadis diſputatione, arbitrio hominis ſublato conſtitui fatum putat: hac autem Diodori ſententia libertas arbitrii tollitur: fatum itaque re ipſa conſtituitur licet verbo refellatur: & Ariſtoteles in logica vere ait, ſi cōtingens nihil ſit, fati neceſſitatem cōſtitui. Itaque Ariſtoteles non ferret iſtas delicias Diodori fatum verbo oppugnantis, reipſa confirmantis. At inquit Tullius, verborum vim interpretatur, & definit. Concedo, inquam, ſed interpretatur, & definit interpretatione & definitione captioſa, fallaci, impia: nihil enim poſſibile dicit eſſe, niſi quod neceſſarium & immutabile ſit, ἐνδεχόμενον vero quod poſſit & eſſe & non eſſe, nihil relinquit, ideoque, ait Ariſtoteles, fati neceſſitatem cōfirmat. Atque ut Epicurus ne in Athenienſium offenſionem caderet, verbo reliquit deos, re ſuſtulit: ſic Diodorus, & cum Diodoro Tullius ludificari in iſto problemate videantur. Quamobrem Ariſtotelis hac de re logicam ſolidiorem teneamus. *Seriem*] Atqui Chryſippus in eam ſeriem cauſſas etiam voluntarias includebat, ut interea liberæ permanerēt, & hæc ſempiterna ſeries divinæ providentiæ valde conveniat, qua vel minimi rerum apices ab æterno proviſi ſunt. Quapropter in utroque Tullius parum cōſideravit quanto ſophiſmate ſeſe devinciret, & quod fatum non exiſtimet à Diodoro omnis veritatis immutabilitate confirmari, & quod exiſtimet ſempiterna Chryſippi ſerie confirmari. Sed id prius in præfatione.

Sed hæc hactenus, alia videamus: Concludit enim Chryſippus hoc modo, Si eſt motus ſine cauſſa, non omnis enuntiatio (quod ἀξίωμα dialectici appellant) aut vera aut falſa erit. Cauſſas enim efficientes quod non habebit, id nec ve-

rum nec falſum erit: omnis autem enuntiatio, aut vera aut falſa eſt: motus ergo ſine cauſſa nullus eſt. Quod ſi ita eſt, omnia quæ fiunt, cauſsis fiunt antegreſsis: id ſi ita eſt, fato omnia fiũt: efficitur ergo, fato fieri, quæcunque fiãt. Hic primũ ſi mihi libeat aſſentiri Epicuro, & negare omnẽ enuntiationẽ aut veram eſſe aut falſam, eam plagam potius accipiam, quám fato omnia fieri comprobem. Illa enim ſententia aliquid habet diſputationis, hæc veró non eſt tolerabilis. Itaque contendit omnes nervos Chryſippus, ut perſuadeat omne ἀξίωμα aut verum eſſe aut falſum. Vt enim Epicurus veretur, ne ſi hoc conceſſerit, concedendum ſit fato fieri quæcũque fiant: ſi enim alterutrum ex æternitate verum ſit, eſſe id etiam certum: & ſi certum, etiam neceſſarium: ita & neceſsitatem, & fatum confirmari putat. Sic Chryſippus metuit, ne ſi non obtinuerit, omne quod enuntictur, aut verum eſſe aut falſum, non teneat omnia fato fieri, & ex cauſsis æternis rerum futurarum.

Sed hæc] Revertitur ad Chryſippum, & duos ejus adverſus Epicurum pro fato ſyllogiſmos proponit. Primus eſt: Si eſt motus ſine cauſſà, non omnis enũtiatio vera eſt aut falſa: falſum eſt ſecundum, falſum igitur & primum: unde colligebat Chryſippus omnia cauſſis antecedentibus fieri: tum ſyllogiſmus ſecundus efficitur, Si omnia fiant cauſſis antecedẽtibus, omnia fato fiũt: primum verum: verum igitur & ſecundum. His duobus ſyllogiſmis pro Epicuro veluti reo oratores duo reſpondent: Cicero priori & Carneades poſteriori. *Ἀξίωμα*] Altero loco idem verbum Tullius interpretatur, fuit enim initio enuntiationum (quæ Græci ἀξιώματα vocant.) Illic Græci hic dialectici authores appellantur, ut ſimul Græci dialectici intelligantur: attamẽ hæc repetita interpretatio ſubindicat librum ab authore paulo negligentius eſſe recognitum. ſed tamen in hoc patrocinio mallet aſſumptioni reſiſtere, negareque omnem enuntiationem veram eſſe aut falſam, quám fatum conſiteri: At patronus iſte multo majore clientis ſui commodo potuiſſet propoſitioni reſiſtere: nihil enim cohæret conſequens illud, Enuntiationem veram eſſe

aut falſam,cum antecedente motus ſine cauſſa. Nec verior eſt hæc enuntiatio, Si eſt motus ſine cauſſa,non omnis enuntiatio vera eſt aut falſa:quám hæc, Si eſt motus ſine cauſſa,omnis enuntiatio vera eſt aut falſa:perinde ac ſi diceres, Si Chryſippus nó eſt dialecticus, non eſt omnis enuntiatio vera aut falſa. Si Chryſippus non eſt dialecticus,omnis enuntiatio vera eſt aut falſa. Ergo propoſitio primi ſyllogiſmi veré negari poteſt,cum nihil habeat conſentaneum antecedenti. Quin á Cicerone ipſo pauló póſt é Carneadis ſententia inconſequẽtia cõnexionis illius coarguetur ad eum nempe locum (Quod cum ita ſit) Ratio propoſitionis itẽ falſa eſt, Quod cauſſas efficientes non habeat,id nec verũ,nec falſum eſſe.In his enim verbis,verum,falſum,vis eſt par contradictioni,verum non verum. At in verbo contradictio ad omnia vera eſt. Chimæra & quidvis fictitium, cauſſas efficientes nullas habet, quia nunquam factum eſt, attamen hæc enũtiatio:Chimera eſt balena,vera eſt aut falſa,id eſt, quod idem valet,vera aut non vera. Quod Cicero tandem ſignificabit,cum dicet,ex contrariis, quorum alterum ait, alterum negat: alterum neceſſarió verum eſſe,alterum falſum. Quamobrem primi ſyllogiſmi Chryſippei, & propoſitio & ratio propoſitionis falſa eſt,& in hoc patrocinio Cicero logicam ſuam oſtendit. Quód autem Cicero tolerabilius putat,negare omnẽ enuntiationem veram eſſe aut falſam,quám fato omnia fieri cõprobare,eſt quidem ſi mores & vitam ſpectes,illa quám hæc culpa levior:ſi veró logicam rationem conſideres,longé hæc quám illa probabilior:paucioreſque philoſophos invenias, qui diſjunctionis ex contradictione veritatem negẽt,quám qui fati neceſſitatem comprobent. Tametſi enim Ariſtoteles in futuro contingenti diſſerit nihil eſſe jam verum aut falſum, attamen contradictionem idem in omnibus rebus veram eſſe confitetur,& quodlibet enũtiatum eſſe verum aut falſum. Sed aliud eſt quærere utra, jam vera aut falſa. *ut enim*] Comparat Epicuri & Chryſippi in hac diſputatione metum,ſed in utroque ſtultũ: nec enim ſi quid ex æternitate verum ſit aut falſum, idque certum, etiam erit neceſſarium,& fatale:multa enim vera futura ſunt & certa,non tamẽ ex neceſſariis cauſſis: & quanvis neceſſe ſit diſjunctionem ex contradictione veram eſſe aut falſam:non eſt tamen neceſſariò pars illa vera,nõ eſt neceſſarió pars iſta falſa. Neceſſitas enim diſjunctionis,ſicuti connexionis, pendet é partium neceſſaria diſjunctione & connexione, non autem ex earum neceſſaria veritate: ut, neceſſe eſt te doctum eſſe,aut non doctum, vera & neceſſaria enuntiatio eſt: attamen te eſſe doctum, non eſt neceſſe, attamen te non eſſe doctum,non eſt neceſſe. In cõnexione res apertior eſt: ut, ſi homo leo eſt, homo eſt beſtia: connexio neceſſaria eſt, attamen

pars eſt vtraque falſa, tantum abeſt ut ſit neceſſaria. Ergo neceſſitas veritatis in hac diſjunctione (verum eſt aut falſum) non pendet ex neceſſitate partium: in quo fallebatur Epicurus, qui putabat, ſi hoc veré diceretur, neceſſe eſt omne enuntiatũ verum eſſe aut falſum, neceſſitatem hanc totius enuntiationis ex partis alterius neceſſitate oriri. Chryſippi veró par etiam hic error fuit. Nam quód omnis enuntiatio vera ſit aut falſa, non magis eſt cauſſa cur concluderet fatum eſſe, quám non eſſe: quod Cicero etiam poſtea diſputabit cum dicet, Quid eſt cur non omnis enuntiatio aut vera aut falſa ſit, niſi conceſſerimus fato fieri, quæcunque fiant?

Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati neceßitatem putat: itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, quum declinat atomus intervallo minimo: id appellat ἐλάχιστον, quam declinationem ſine cauſa fieri, ſi minus verbis, re cogitur confiteri: non enim atomus ab atomo pulſa declinat. Nam quî poteſt pelli alia ab alia, ſi gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim ut ſi alia ab alia nunquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, ut jam ſi ſit atomus, eaque declinet, declinare ſine cauſa. Hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quód veritus eſt, ne ſi ſemper atomus gravitate ferretur naturali ac neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet, quum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur: Hinc Democritus author atomorum accipere maluit neceßitate omnia fieri, quám á corporibus individuis naturales motus avellere.

Sed Epicurus] Proponit Epicuri rationem adverſus fatum, qui cum crederet ex atomis omnia fieri, & atomorũ motu omnia moveri, metuebat ne moverentur omnia neceſſario, ſi motus atomorum eſſet neceſſarius. Itaque declinationem induxit: quam Cicero Sorite quatuor graduum nullam eſſe cõtẽdit, & ſine cauſſa fictam. Si atomi recté feruntur, alia non pellitur ab alia: deinde ſi alia non pellitur ab alia, non ſe contingunt: denique ſi atomi non ſeſe contingunt

tingunt neque declinant,ſed primum,ultimum igitur. Epicurus autem Ciceronis propoſitioni reſiſteret, quia negaret ſemper rectè ferri,cúm aliquando declinarēt. Epicuri fuit ſtolidus error,ſed non refellitur his argumentis á Cicerone . De tribus his motibus jam dixi. *Perpendiculum*] Mathematicorum dictiones ſunt, qui longitudines regula & linea, altitudines perpendiculo, angulos norma metiuntur,ut Vitruvius docet. Hoc modo Cicero ad fratrem: Columnas neque rectas neque é regione Diphilus collocarat, eas ſcilicet demolietur, & aliquando perpendiculo & linea uti diſcet. Has autem rectas lineas Euclides vocat παραλλήλους, perpendicularis autē linea definitur Euclidi 10.di.1.lib.cōſtituitur 11.& 12.p.1. *Hanc rationem*] Repetitur cauſſa Epicurei figmenti & refellitur authoritate Democriti,qui philoſophus ab Ægyptiis,Chaldæis,gymnoſophiſtis, Socrate philoſophiam variam didicit : In atomis autem materiá naturæ cujuſvis inſtituit eaſque diſtinxit figura, ordine, ſitu,unde eſſet fluxus,tactus,converſio:ut Ariſtoteles docet in philoſophia lib.1.cap.4. exponitur latius primo de Finibus : & poſtea Democritus inter authores fati nominabitur.

Acutius Carneades, qui docebat poſſe Epicureos ſuam cauſſam ſine hac commētitia declinatione defendere: Nam quum doceret eſſe poſſe quendam animi motum voluntarium,id fuit defendi melius, quám introducere declinationem, cujus præſertim cauſſam reperire non poſſunt: quo defenſo,facilé Chryſippo poſſent reſiſtere. Quum enim conceſſiſſent motum nullum eſſe ſine cauſſa,non concederent omnia quæ fierent,fieri cauſſis antecedentibus:voluntatis enim noſtræ non eſſe cauſſas externas & antecedētes. Communi igitur conſuetudine ſermonis abutimur, quum ita dicimus,velle aliquid quēpiam,aut nolle ſine cauſſa. Ita enim dicimus ſine cauſſa, ut dicamus ſine externa & antecedēte cauſſa,non ſine aliqua. Vt quum vas inane dicimus,non ita loquimur ut phyſici, quibus inane eſſe nihil placet: ſed ita ut,verbi cauſſa,ſine aqua,ſine vino,ſine oleo vas eſſe dicamus. Sic,quum ſine cauſſa animum moveri dicimus,ſine

antecedēte & externa cauſſa moveri, non omnino ſine cauſſa dicimus. De ipſo atomo dici poteſt, quum per inane moveatur gravitate & pondere, ſine cauſſa moveri, quia nulla cauſſa accedat extrinſecus. Rurſus autem, ne omnes á phyſicis irrideamur, ſi dicamus quicquā fieri ſine cauſſa: diſtinguendum eſt, & ita dicendum, ipſius individui hanc eſſe naturam, ut pōdere & gravitate moveatur, eamque ipſam eſſe cauſſam cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios non eſt requirēda externa cauſſa. Motus enim voluntarius eam naturam in ſe ipſe continet, ut ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat, nec id ſine cauſa. Ejus enim rei cauſſa ipſa natura eſt.

Adhuc patrocinium Ciceronis pro Epicuro fuit, adverſus Chryſippi primum ſyllogiſmum: ſequitur pro eodem Epicuro adverſus Chryſippi ſecundum ſyllogiſmū Carneadis patrocinium. Carneades igitur reſiſtebat ſecundi ſyllogiſmi aſſumptioni, Sed omnia fiūt cauſſis antegreſſis: docebat enim motus quoſdam voluntarios eſſe, & ex ſe ortos, qui nullis antegreſſis externis cauſſis fierent: quod patrocinium veriſſimum eſt, & Carneadis logica digniſſimum: hæc enim libertas eſt animi, ſuæ ſibi voluntatis impulſorem, ſuaſorem, authorem eſſe poſſe, & hoc in Carneade probandum eſt & laudandum. *Communi*] Prolepſis pro Epicuro, quem dicerent Epicurei vulgi more loquutum, cúm dixiſſet ſine cauſſa aliquid fieri, quod ſimilitudine phyſica declaratur: quæ tamen non ſatis Epicuro congruit inane phyſicum principium facientis. *Sic quum*] Redditio ſimilitudinis de animo, additur deinde pauló póſt de atomo, & utraque rurſus iteratur. *Phyſicis*] Imo potius à logicis quorū propria eſt cauſſarum doctrina: á phyſicis tamen etiam occupata eſt, ut ab Ariſtotele primo & ſecundo phyſico, ſed injuſté occupata, ut ibi dicetur amplius.

Quod quum ita ſit, quid eſt cur non omnis pronuntiatio, aut vera aut falſa ſit, niſi conceſſerimus fato fieri quæcunque fiāt? Quia futura, inquit, vera non poſſunt eſſe ea quæ cauſſas cur futura ſint, nō habēt. Habeant igitur cauſ-

ſas

ſas neceſſe eſt ea quæ vera ſunt, ita quum evenerint, fato evenerint. Confectum negotium: ſiquidem tibi concedendum eſt, aut fato omnia fieri, aut quicquam poſſe fieri ſine cauſſa. An aliter hæc enuntiatio vera eſſe non poteſt, capiet Numãtiam Scipio, niſi ex æternitate cauſſa cauſſam ſerẽs hoc erit effectura? An hoc falſum potuiſſet eſſe, ſi eſſet ſexcentis ſeculis ante dictũ? Et ſi tum non eſſet vera hæc enuntiatio, capiet Numantiam Scipio, ne illa quidem vera eſt hæc enuntiatio, capiet Numantiam Scipio. Poteſt igitur quicquam factum eſſe, quod non verum fuerit futurũ eſſe. Nam vt præterita ea vera dicimus, quorũ ſuperiore tempore vera fuerunt inſtantia: ſic futura, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia, ea vera dicemus: nec ſi omne enuntiatum, aut verum aut falſum eſt, ſequitur ilico eſſe cauſſas immutabiles, eaſque æternas, quæ prohibeant quicquam ſecus cadere, atque caſurum ſit. Fortuitæ ſunt cauſſæ, quæ efficiant ut veré dicãtur: quæ ita dicentur, Veniet in Senatum Cato: non incluſæ in rerum natura atque mundo, & tamen tam eſt immutabile venturum quum eſt verum, quám veniſſe: nec ob eam cauſſam fatum aut neceſsitas extimeſcenda eſt. Etenim erit confiteri neceſſe, ſi hæc enuntiatio, Veniet in Tuſculanum Hortenſius, verum non eſt, ſequitur ut falſum ſit: quorum iſti neutrum volunt: quod fieri non poteſt.

Quod cum] Totus qui ſequitur locus, uſque ad ignavam rationem valde intricatus eſt ſententiis Carneadis, Chryſippi, Didori. Repetitur igitur argumentatio Chryſippi de enuntiationis definitione, & pauló ſecus quám antea ei reſiſtit á Carneade. quia nil repugnet omnem enuntiationem veram eſſe aut falſam, & tamen fatũ non eſſe, quia multa fiunt cauſſis non neceſſariis. *Inquit*] Chryſippus reſpondens Carneadi. Dialogiſmus igitur hic quidam eſt

F

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Carneadis & Chryſippi. *Confectum*] Hæc á Carneade adverſus Chryſippum intelligenda ſunt, quia Carneades jam docuit pleraque fieri à cauſſis interioribus & inſitis, non externis. *An hoc*] Diodorus quarto loco huc revocatur. Primus enim locus fuit omne falſum impoſſibile, omne verum neceſſarium, ſecundum de commutatione veri. *In falſum*] Tertius locus quod nõ propterea Diodorus fati neceſſitatem confirmaret, ſed interpretaretur vim verborum. *Vera eſt*] Locus hic mendoſus eſt. Quidam legunt, Ne illa quidem everſa, vera eſt hæc enunciatio, quod aliquid habet adjumenti, ſenſum tamen plenum non habet. Senſus autem cõſtabit, ſi illa in primo exemplo pro hæc reponatur, & in ſecundo exemplo, pro aut nũc, & pro capiet, legatur cepit, Hoc modo, Etſi tum nõ eſſet vera illa enuntiatio, capiet Numantiam Scipio, ne nunc quidem vera eſt enuntiatio hæc, Cepit Numantiã Scipio. Logica enim temporum collatio hunc ſenſum requirit: Utrum autem Cicero ita ſcripſerit, divinare ſit, niſi exemplaria ſuccurrãt: debuiſſe autem hunc ſenſum ſequi res ipſa cogit confiteri. Hanc enim ſententiam proxima collatio declarat, ubi præteriti & futuri temporis veritas, inſtantis temporis veritate æſtimatur, quia temporis nihil eſt, niſi præſens, ut phyſici diſputãt. *Nec ſi omne*] Carneades adverſus Chryſippum huc redit, ac reprehenditur apertius illa de enuntiatione Chryſippi ratio: Si omnis enuntiatio vera eſt aut falſa, fato fiunt omnia. Nihil enim conjunctum habet conſequens cum antecedente, nec repugnat antecedens eſſe verum conſequente falſo, cúm voluntariis cauſſis multa vera poſſint eſſe, non fatalibus & neceſſariis. *Et tamen*] Relabitur quinto Cicero ad ſuum Diodorum, & illam impiam omnis veritatis neceſſitatem & immutabilitaté non ſolúm inconſtanter, ſed inconſideraté admodum confirmat: proximo loco in reprehenſione Chryſippi, cauſſas fortuitas conſtituit multarum rerũ: nũc confirmat omnia vera eſſe neceſſaria & immutabilia, nec videt, hoc impio Diodori decreto poſito, ſequi quod Ariſtoteles ratiocinatur, ut nullæ ſint mutabiles, nullæ fortuitæ, nullæ liberæ, nullæ non neceſſariæ cauſſæ. Non enim veritas rerum neceſſaria & immutabilis eſt, niſi ex neceſſariis & immutabilibus rerum cauſſis: & quidem hæc logica Ciceronis valde levis & incõſtans eſt. Quid veró eſt? quo argumento colligit Diodorus, & Diodori ſectator Cicero, omnia vera eſſe neceſſaria? Antea adhibita eſt ad hanc probationem enuntiationis definitio, eadem nunc demum iteratur. Neceſſe eſt eſſe verũ aut falſum quod enuntiatur, inquiunt: ergo ſi falſum non eſt, erit neceſſario verum: ſi verum non eſt, erit neceſſario falſum: hoc Diodori á divinatione argumentũ eſt, quod hic obſcuré indicatur: declarabitur poſtea apertius: hæc logica Ciceronis

ceronis eſt,hæc dialectica eſt Diodori tam valentis (ut antea prædicabat Cicero) dialectici. Diſjunctio omnis abſolutè vera, eſt etiã neceſſaria, ſicut connexio omnis abſolutè vera, eſt etiam neceſſaria:attamen hæc totius enuntiationis neceſſitas (ut antea jam dixi) nihil habet á neceſſitate partium : diſjunctionis neceſſitas pendet ex repugnantia, & diſjunctione partium neceſſaria, non ex earum neceſſaria veritate,ſicut connexionis neceſſitas pendet ex partium neceſſaria connexione. Quapropter Diodori talis diſputatio non eſt logica,ſed ſophiſtica planeque impia. *Si hæc enuntiatio*] Locus mendoſus eſt:videtur legendum(hoc enuntiatum) pro (hæc enuntiatio) & (ſequi) pro ſequitur. *Hortenſius*] Hortenſius Platanos in Tuſculano habuit quas vino irrigare conſueverat, de quibus in Ciceroniano cum reliqua Hortenſii mollitie dictũ eſt. *Iſti*] Chryſippus,Epicurus,Carneades.Omnes enim hi Diodoream immutabilitatem improbarunt. *Neutrum*] Quamvis enim totum diſjunctum aut verum aut falſum ſit neceſſarium,pars tamen neutra ideo neceſſaria. *Non poteſt*] Imo vero & eſt & fit,non ſolũ poteſt fieri:ut neceſſe eſt te ambulare aut non ambulare, eſt enuntiatum verum & neceſſarium,neutra pars tamen eſt neceſſaria.

Nec nos impediet illa ignava ratio,quæ dicitur. Appellatur enim quidam á Philoſophis ἀργὸς λόγος : cui ſi pareamus,nihil eſt omnino quod agamus in vita. Sic enim interrogant, Si fatum tibi eſt ex hoc morbo convaleſcere, ſive tu medicum adhibueris, ſive non, convaleſces. Item, Si fatum tibi eſt ex hoc morbo non convaleſcere, ſive medicum adhibueris, ſive non, non convaleſces. Et alterutrum fatum eſt: medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum eſt,quód eadem ratione omnis é vita tolletur actio. Licet etiam immutare,ut fati nomen ne adjungas, & eandem tamen ſententiam teneas,hoc modo:Si ex æternitate verum hoc fuit, Ex iſto morbo convaleſces : ſive adhibueris medicum, ſive non, convaleſces. Itemque,ſi ex æternitate falſum hoc fuit, Ex iſto morbo non convaleſces : ſive adhibueris medicum, ſive

+

non adhibueris, ~~non~~ convaleſces. Deinde cætera. Hæc ratio á Chryſippo reprehenditur. Quædam enim ſunt, inquit, in rebus ſimplicia, quædam copulata. Simplex eſt, morietur eo die Socrates. Huic, ſive quid fecerit, ſive non fecerit, finitus eſt moriendi dies. At ſi ita fatũ ſit, naſcetur Oedipus Laio, non poterit dici, ſive fuerit Laius cum muliere, ſive non fuerit: copulata enim res eſt & confatalis: ſic enim appellat, quia ita fatum ſit, & concubiturum cum uxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum: ut ſi eſſet dictum, Luctabitur Olympiis Milo, & referret aliquis, Ergo ſive habuerit adverſariũ, ſive non habuerit, luctabitur, erraret. Eſt enim copulatum, luctabitur, quia ſine adverſario nulla luctatio eſt. Omnes igitur iſtius generis captiones eodem modo refelluntur. Sive tu adhibueris medicum, ſive non adhibueris, convaleſces captioſum. Tam enim eſt fatale medicum adhibere, quám convaleſcere. Hæc, ut dixi, confatalia ille appellat.

Nec nos] Redit ad Chryſippum, & ex ejus libris ſyllogiſmũ quendam fati confirmatorem vulgó in philoſophorum ſcholis jactatum proponit, qui ἀργὸς λόγος, id eſt, ignava ratio dicebatur, quód ignaviã & inertiam, omni vitæ ſublata actione induceret, quem eundem poſita pro nomine definitione ſubinde repetit. *Interrog.*] Synecdoche eſt partis pro toto, interrogare enim pro diſputare ſeu diſſerere dicitur, & ſic mox, recté genus hoc interrogationis: Nam ſi proprié loquare, nihil hic interrogatur, Sic & interrogare, pro diſputare, In par. Sed minutis interrogatiunculis & quaſi punctis quod propoſuit efficit. Sic alias frequenter. Sic etiam græcé ἐρωτᾶν interrogare leges. *Non convaleſces*] In fine connexi ultimi negatione nihil opus eſt: nam ſi negatio falſa eſt, affirmatio certé erit vera: & ſi hæc enuntiatio (non convaleſces) falſa eſt, vera eſt contraria (convaleſces.) Itaque ſi Cicero ut codices indicant, ita ſcripſerit, ſcripſit ſané contrarium quám ſenſit. *Immutare*] Atque hæc immutatio non eadem eſt: Nec enim verum æternum & verum fatale eſt idem: Enuntiatum enim hoc capiet Numantiam Scipio, ab

æterno verum fuit, attamen neque neceſſarium neque fatale.

Deinde cætera] Aſſumptionem illam ſignificat & complexionem, at alterutrum fatum eſt: medicum ergo adhibere nihil attinet. *Hæc ratio*] Sequitur ex Chryſippo ignavæ illius ratiocinationis refutatio, cujus propoſitioni Chryſippus reſiſtebat, partitione & diſtinctione rerum, quæ ſi ſimplices eſſent, ſimplex haberét fatum: ſi copulatæ, copulatum. In ſyllogiſmi autem poſiti propoſitione, rem copulatam & propterea confatalem, quæ exemplis declaratur: diſtinctio argutula & falſa & impia. Nec enim fatum vel ſimplex vel copulatum ullum eſt. Chryſippi laquei ſunt. Veré itaque aſſumptioni reſiſti poterat: neutrum enim fatale eſt. ſed Chryſippus fati aſſertor errorem ſuum ſequitur: eadem autem diſputatio á Seneca Stoico nẽpe, diſſeritur in naturalibus quæſtionibus, lib. 2. cap. 36. 37. 38. Quod vota proficiant, aliaque hominum ſtudia ſalva poteſtate fatorum, quia quædam á diis ſuſpenſa ſunt, ut in bonum vertant ſi rogentur. *Oedipus*] Oedipus natus eſt ex Lajo & Iocaſta, quem reſponderat Apollo patris interfectorem futurum. Ergo infans juſſu patris expoſitus eſt, & transfixis pedibus in arbore ſuſpenſus: hinc dictus Oedipus á tumore pedum: hic poſtea patrem interfecit, & matrem uxorem duxit. *Olympiis*] Olympia Olympiæ, eſt oppidum Græciæ, quod & Piſa dicitur. Olympia olympiorũ certamina ſunt ſacra Jovi quinto quoque anno ſolita, celebrari. *Milo*] De quo Plin. lib. 7. cap. 20. Crotoniatam Milonẽ Athletam cum conſtitiſſet, nemo veſtigio educebat: malum tenẽti, nemo digitum corrigebat. In Olympia (ait Valerius) bovem in humerum ſuſtulit, tandem ſuis viribus nimium fidens cum in ſylva vidiſſet ingentem arborem caudice ſciſſam, immiſſis manibus penitus diſcindere cupiens reductiſque fiſſuris deficiente conatu ſe feris lacerandum præbuit. Hæc Plinius. Alii addunt bovem ictu nudæ dextræ occiſum portatumque ſine fatigatione per ſpatium ſtadii, totumque eodem die devoratum.

Carneades genus hoc totum non probabat, & nimis inconſiderate concludi hanc rationem putabat: itaque premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam: cujus erat hæc concluſio, Si omnia antecedentibus cauſſis fiunt, omnia naturali colligatione conſerte contexteque fiunt: quod ſi ita eſt, omnia neceſſitas efficit. Id ſi verum eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate: Eſt autem aliquid in noſtra poteſtate: At ſi omnia

fato fiunt, omnia cauſsis antecedentibus fiunt: non igitur fato fiunt quæcunque fiunt. Hoc arctius aſtringi ratione non poteſt. Nam ſi quis velit idem referre, atque ita dicere, Si omne futurum ex æternitate verum eſt, ut ita certé eveniat quemadmodum ſit futurum, omnia neceſſe eſt colligatione naturali conſerte contexteque fieri: nihil dicat: Multum enim differt, utrum cauſſa naturalis ex æternitate, futura vera efficiat, an etiam ſine æternitate naturali, futura quæ ſint, ea vera eſſe poſsint intelligi. Itaque dicebat Carneades, ne Apollinem quidem futura poſſe dicere, niſi ea, quorum cauſſas natura ita contineret, ut ea fieri neceſſe eſſet: Quid enim ſpectãs deus ipſe diceret, Marcellũ eum, qui ter Cos. fuit, in mari eſſe periturum? Erat hoc quidem verum ex æternitate, ſed cauſſas id efficientes non habebat: ita ne præterita quidem ea quorum nulla ſigna tanquam veſtigia extarent, Apollini nota eſſe cenſebat, quo minus futura: Cauſsis enim efficientibus quamque rem cognitis, poſſe denique ſciri quid futurum eſſet. Ergo nec de Oedipo potuiſſe Apollinem prædicere nullis in rerum natura cauſsis præpoſitis, cur ab eo patrem interfici neceſſe eſſet: nec quicquam ejuſmodi. Quocirca ſi Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, conſentaneum eſt hujuſmodi oracula, cæteraque, quæ ad divinationem pertinent, comprobare: iis autem qui quæ futura ſunt, ea vera eſſe ex æternitate dicunt, non idem dicendum eſt: vide ne non eadem ſit illorum cauſſa, & Stoicorum. Hi enim urgentur anguſtiis: illorum ratio ſoluta ac libera eſt.

Carneades] Quatuor de fato ſententiiæ diſputatæ ſunt, Poſidonii, Chryſippi, Diodori, Epicuri: quinta ſupereſt Carneadis, qui ſicut Diodorus & Epicurus, Stoicorũ fatum tollebat, omneſque Chryſippi

ſippi fraudes & captiones damnabat. *Calumniam*] Calumnia eſt proprié in litibus fraudulenta vexatio. In Salluſtium, Sed eſt quædam calumnia, quám unuſquiſque noſtrum teſtante animo ſuo fert de eo qui falſum crimen bonis objectat. Pro dom. Illud imprimis ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur. Quod autem Tullius aſſerit nullam á Carneade calumniam adhiberi, valde ipſe Carneadis calũnia falſus eſt. Soriticus enim ſyllogiſmus Carneadis tertio gradu connexi calumniam gravem adhibet, ſi ſeries ſit, eſt neceſſitas, nec enim ordo neceſſitatis cauſſa eſt, nec quia futurum eſt, protinus neceſſario futurum eſt. Fient ab hominibus plurima, neque ab iis invitis aut coactis: vis & neceſſitas hic nulla eſt.

Eſt autem] Aſſumptio eſt per remotionem ultimi gradus, ut antecedentes omnes removeantur, Complexio tamen reticetur. *At ſi*] Enthymema eſt præterita aſſumptione, quæ tamé poteſt é proximo accipi: at non fiunt cauſſis antecedentibus. *Arctius*] Sic in Paradoxis, Illud tamen arcte tenent, accurateque defendunt. Sic igitur Tullius Carneadis ſyllogiſmum arctum & aſtrictum arbitratur, ut antea ſine calumnia. Verum, ut Carneades animorũ noſtrorum libertatem retineret, omnem religioné ſubvertebat. Non enim putabat ab Apolline, id eſt, ab eo deo, cui reliqui dii conceſſiſſent, ut præter cæteros divinaret, ſicut prima Tuſcul. ſcribitur, nó inquam, putabat á ſummo deo res non neceſſarias & contingentes ſciri, & fatum non eſſe. Itaque ut fatum tolleret, tollebat etiam divinationem. Syllogiſmus Carneadis hîc comprehenſus ſic eſt: Ea præſciri poſſunt, quæ cauſſas habent naturales & neceſſarias: contingentia non habent cauſſas naturales & neceſſarias: contingentia igitur præſciri non poſſunt. Captio verbi eſt ab Ariſtotele cæteriſque logicis profecta, qui ſcientiam in neceſſariis tantum cauſſis ſtatuunt. Eſt veró ſcientia, cauſſarũ cognitio. Porro quales res ipſæ ſunt, tales ſunt rerũ cauſſæ. Quædam auté ſunt res neceſſariæ, quædã non neceſſariæ, quædam liberæ, quædã noſtro judicio fortuitæ: ſic etiam cauſſarũ ſpecies ſunt diviſæ. Itaque quædam ſcientia erit cognitio cauſſarũ neceſſariarũ: quædã etiam non neceſſariarũ. Sic itaque verus deus omnia cognovit ex ſuis cauſſis neceſſariis, non neceſſariis, & præterita, & præſentia, & futura, & neceſſaria, & non neceſſaria. Nó igitur ſciuntur ea ſolũ, quæ cauſſas habẽt naturales & neceſſarias, quales ſcientiæ ſunt artiũ liberaliũ, ſed ea omnino quorũ cauſſæ cognoſcuntur, & propoſitio Carneadis calumniam adhibet. Fuit autem error Carneadis, error Ariſtotelis, qui. 9. cap. 12. lib. in philoſophia ait, adeó non omnia quæ toto mundo fiunt conſiderari, καὶ γὰρ μὴ ὁρᾷν ἔνια κρεῖττον ἢ ὁρᾷν. Etenim (ait) non videre quædam melius eſt, quám videre. Error etiam idem Stoicorum fuit, magna dii pro-

curant, ait Balbus Stoicus 2. de Nat. deorum, parva negligunt. Itaque philoſophi omnes hi nunquam cogitarunt providentia divina, ſic res & univerſas & ſingulas adminiſtrari, ut etiam capitis cujuſque capilli á Deo numerati ſint. Quod ſi cui mirabilis ut eſt ita videbitur, Dei omnia cernentis cognitio, comparet ſuis oculis Lynceum é ſpecula lilybetana naues in portu Carthaginis dinumerátē, aliumque lynceum primo lynceo tanto acutiorem: tertiumque ſecundo, & ſic deinceps augendo perveniat eo ut hemiſphæriũ aliquis undique totum, imo ſphæram mundi, totamque rerum naturam in conſpectu habeat. Sic Apollo Carneadi ſi viſus eſſet tanto major univerſo mundo, omnibuſque mundi temporibus & cõverſionibus, quanto ſphærico horologio aliquo Archimedes ipſius opifex rectorque eſſet, cum perſpiceret Archimedi notos eſſe motus omnes horologii ſui, minus miraretur Deo rerũ opifici motus opificii ſui in cõſpectu omnes eſſe. Diſputat Auguſtinus lib. 5. de Civitate cap. 9. adverſus Ciceronem de hac re, quód Cicero divinationi conjunctum fatum impie crederet: & videtur Auguſtinus gradationem quandam ex hoc libro refutare, quam Vives Auguſtini interpres, vir alioqui doctiſſimus, ex ſecundo de Divinatione Ciceronis libro ſumptam putat, ubi tamen cum diſputatio ſit integra, nulla eſt hujus argumenti ſuſpicio. Probabilius eſt ex hoc libro ſoritem illum ſumptum eſſe, ubi notæ quædam ſuperſunt rerum ab Auguſtino in refutatione productarum. Sorites Ciceronis in connexi ſecundi formam ita concluditur, Si eſt præſciētia, ordine præſciētiæ res evenient: ſi hoc eſt, etiam certus ordo rerum: ſi rerum, etiam cauſſarum, quæ ſi ſint, fatum eſt: ſi fatum, nullum arbitrium liberum: ſed eſt arbitrium liberũ: quare non fatum, non ordo cauſſarum, neque rerum, neque eventorum, denique neque præſcientia eſt. Syllogiſmus Ciceronis hoc ordine componitur. Sententia ejus ſequitur ex Auguſtino. Quid eſt ergo (ait Auguſtinus) quod Cicero timuit in præſcientia futurorũ, ut eam labefactare diſputatione deteſtabili niteretur? videlicet quia ſi præſcita ſunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura eſſe præſcita ſunt: & ſi hoc ordine venient, certus eſt ordo rerũ præſcienti deo: & ſi certus ordo rerum, certus eſt ordo cauſſarum. Non enim aliquid fieri poteſt, quod non aliqua efficiens cauſſa præceſſerit. Si autem certus eſt ordo cauſſarum, quo fit omne quod fit, *fato (inquit) fiunt omnia, quæ fiunt. Quod ſi ita eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate, nullumque eſt arbitriũ voluntatis. Quod ſi cõcedimus (inquit) omnis humana vita ſubvertitur, fruſtra leges dãtur, fruſtra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque ulla juſtitia bonis præmia, & malis ſupplicia cõſtituta ſunt: hæc ergo, ne cõſequantur indigna, & abſurda

**Huic gradui reſiſtēdum eſt. Nec enim ſi certus eſt ordo, eſt etiã neceſſarius & fatalis.*

abſurda & pernicioſa rebus humanis, non vult eſſe præſcientiam futurorum: atque in has anguſtias Cicero coarctat animum religioſum, ut unum eligat é duobus, aut eſſe aliquid in noſtra voluntate, aut eſſe præſcientiam futurorum: quoniam utrunque arbitratur eſſe non poſſe: ſed ſi alterum confirmatur, alterum tolli: ſi elegerimus præſcientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium: ſi elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præſcientiam futurorum. Ipſe itaque ut vir magnus & doctus, & vitæ humanæ plurimũ & peritiſſimè conſulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut cõfirmaretur, negavit præſcientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, facit ſacrilegos. Religioſus autem animus utrunque eligit, utrunque confitetur, & fide pietatis utrunque confirmat. Quomodo? inquit. Nam ſi eſt præſcientia futurorum, ſequuntur illa omnia quæ connexa ſunt, donec eò perveniatur ut nihil ſit in noſtra voluntate. * Porro ſi eſt aliquid in noſtra voluntate, eiſdem recurſis gradibus eò pervenitur, ut non ſit præſcientia futurorum. Nam per illa omnia ſic recurritur: Si eſt voluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt: ſi non omnia fato fiunt, non eſt omnium certus ordo cauſſarum: ſi certus cauſſarum ordo non eſt, nec rerum certus eſt ordo præſcienti deo, quæ fieri non poſſunt niſi præcedentibus & efficientibus cauſſis: ſi rerum ordo præſcienti deo certus non eſt, non omnia ſic eveniũt, ut ea ventura præſciuit: porro ſi non omnia eveniunt, ut ab illo vẽtura præſcita ſunt, non eſt, inquit, in deo præſcientia omnium futurorum. Hunc Ciceronianum, vel ut ſuſpicor, Carneadeum ſoritem D. Auguſtinus oratione graviſſima & veriſſima refellit. Summam ejus notavimus in reprehenſione propoſitionis & aſſumptionis. *Marcellum*] De hoc Marcello Florus in Livium lib. 50. Trium legatorum qui ad Maſiniſſam miſſi fuerant, Claudius Marcellus orta tempeſtate obrutus eſt. Cicero in Divinatione lib. 2. Vt ſi quis M. Marcellum illum qui ter conſul fuit, multis annis ante dixiſſet eſſe naufragio periturũ, divinaſſet profecto.

Repetitur ſũma propoſitionis, & aſſumptio per everſionem cõſequentis additur.

** huic item gradui reſiſtendum eſt, ut antea in propoſitione.*

Quocirca] Anteponitur Carneades Chryſippo: at utriuſque par eſt calumnia, & Chryſippi fatum in omni re ſtatuentis, & Carneadis divinationem omnem vel deo eripientis. *Oracula*] Chryſippus de divinatione duos libros & unum de oraculis conſcripſerat, ut eſt primo libro de divinatione apud Ciceronem. *Æternitate*] Sic paulo ante Carneadis illud fuit, Erat hoc quidẽ verum ex æternitate.

Quòd ſi concedatur nihil poſſe evenire niſi cauſſa antecedente, quid proficiatur, ſi ea cauſſa non ex æternis cauſſis apta ducatur? Cauſſa autem ea eſt, quæ id efficit, cujus eſt

G

cauſſa, ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Itaque non ſic cauſſa intelligi debet, ut quod cuique antecedat, id ei cauſſa ſit, ſed quod cuique efficienter antecedat: nec quód in campum deſcenderim, id fuiſſe cauſſæ, cur pila luderem: nec Hecubam cauſſam interitus fuiſſe Trojanis, quód Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quód Clytemneſtram. Hoc enim modo viator quoque bene veſtitus cauſſa graſſatori fuiſſe dicetur, cur ab eo ſpoliaretur. Ex hoc genere illud eſt Ennij,

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

Licuit vel altius, Utinam ne in Pelio nata ulla unquam eſſet arbor. Etiam ſuprá, Utinam ne eſſet mons ullus Pelius.

Similiterque ſuperiora repetentem regredi in infinitũ licet.

Neve inde navis inchoandæ exordium
Cepiſset.

Quorſum hæc præterita? quia ſequitur illud,

Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægro, amore ſævo ſaucia.

Non ut hæ res cauſsam afferrent amoris. Intereſse autem ajunt, utrum ejuſmodi quid ſit, ſine quo effici aliquid non poſsit: an ejuſmodi, cum quo aliquid effici neceſse ſit. Nulla igitur earum eſt cauſsa, quia nulla earum rerum ſua vi efficit id cujus dicitur cauſsa. Nec id ſine quo quippiam non fit, cauſsa eſt: ſed id quod quum acceſsit, id cujus cauſſa eſt, efficit neceſsario. Nondum enim ulcerato ſerpentis morſu Philoctеta, quæ cauſsa in rerum natura continebatur, fore, ut is in inſula Lemno linqueretur? poſt autẽ cauſſa fuit

ſa fuit propior, & cum exitu junctior.

Quod ſi] Revocat propoſitionem ſecundi ſyllogiſmi Chryſippei á Carneade antea prætermiſſam, & ei ſic reſiſtit, ut neget illa quæ ſempiterna ſerie antecedant, cauſſas eſſe, quod approbat definitione efficientis cauſſæ & multis exemplis. Totus igitur hic locus eſt logicus de cauſſæ definitione. *Cauſſa*] Cauſſæ nomine tantum efficientem cauſſam intelligit, cujus genera duo facit in Topicis & Partitionibus, alterum quod vi ſua efficit, ut ignis accendit, alterum ſine quo effici non poteſt, ut locus, tempus, materia, ferramenta. Hic alterum genus removetur é cauſſis non recté. *Campum*] Ubi juventus omnibus modis exercebatur curſu, lucta, haſta, diſco, pugillatu, pila, ſaliendo, ut Plautus in Bacchide loquitur, & antea fuit ut in porticu Pompeji potius quã in campo ambulemus.

Pila] Trigonalis in trigone thermarum, paganica autem & follis & harpaſtum in campo eſſe poterant. *Hecubam*] Hecuba Priami uxor, quæ ſomniavit prægnans accenſam facem ſe parere, quæ patriam totam inflammaret. *Tyndareum*] Tyndarus rex Oebaliæ vir Lædæ Tyndareus etiam dicitur. Ovid. 8. epiſt.

Me tibi Tyndareus vita grauis author & annus,

Tradidit. Hic Caſtorem Pollucem, Helenam, Clytemneſtram genuit. *Agamemnoni*] Regi Mychenarum Græcorum duci ad Trojam. *Clytemneſtram*] Quæ per adulterum Ægyſtum interficiẽdum curavit Agamemnonem maritum: poſteaque interfecta eſt ab Oreſte filio. Ovid. Eleg.

Et vindex in matre patris malus ultor Oreſtes.

Ennius] Ennius Epicorũ poëtarũ princeps ante Tullium. *Utinam*] Vox eſt ſervulæ lamentantis Medeam heram. *Pelio*] Ovid.

Pelion AEmoniæ mons eſt obverſus in auſtros,

Summa virent pinu, cætera quercus habet.

Trabe] Materies Argus navis hic attingitur, qua vectus cum argonautis Jaſon, cujus amore Medea capta eſt. Et ſic in Topicis idẽ: Niſi enim cecidiſſet abiegna ad terrã trabes, Argo illa facta nõ eſſet, nec tamen fuit in his trabibus efficiẽdi vis neceſſaria. *Intereſſe*] Colligitur illuſtrationis longioris ſumma, cõſtitutaque definitione cauſſæ, tollitur illud, ſine quo. *Utinam*] Citatur hic Ennii locus in Topicis á Cicerone, & illic ponitur inter cauſſas, hæc cauſſa ſine qua, quã verius hoc loco Cicero removet é cauſſis, quãvis nõ recté totũ cauſſæ genus uni efficiẽtis ſpeciei tribuit. *Nondum*] Proponit aliud exemplũ ejuſdẽ refutationis de Philoctete, á quo Hercules (ut Servius ſcribit) in Oeta hominem exuens petivit, ne alicui ſui corporis reliquias indicaret, jurareque coëgit, & ſuas ſagittas Hydræ felle tinctas dedit. Et cum reſponſum fuiſſet, Herculis ſagittis opus

eſſe ad expugnandam Trojam, inventus eſt Philoctetes: & de Hercule interrogatus, negavit ſe ſcire, deinde cum cogeretur, confeſſus eſt mortuum: ſepulchrumque, ne juſjurãdum falleret, non voce, ſed pede oſtendit. Poſt hæc cum duceretur ad bellum, caſu in eum pedem, quo ſepulchrum oſtendit, ſagitta cecidit vulnereque immedicabili cõfectus eſt. Alii ſerpentis morſu vulneratum tradunt, cujus fœtor cúm á Græcis ſuſtineri non poſſet, in Lemno relictus eſt, ubi cum priſtinæ ſanitati reſtitutus eſſet, ad Trojam deductus eſt. Sic enim dicit Ulyſſes apud Ovid. in 13. Metam.

Nec Pæamiadem quod habet Vulcania Lemnos
Eſſe reus merui, crimen defendite veſtrum:
Conſenſiſtis enim, nec me ſuaſiſſe negabo,
Ut ſe ſubtraheret bellique viæque labori,
Tentavitque feros requie lenire labores.
Paruit & vivit.

Lemno] Lemnos eſt inſula maris Ægei, ab Oriẽte Trojam, ab occaſu Athon ſpectans, á Borea Traciam, ab auſtro Cretam. Hic Vulcanus colebatur.

Ratio igitur eventus aperit cauſſam: ſed ex æternitate vera fuit hæc enuntiatio, Relinquetur in inſula Lemno Philoctetes: nec hoc ex vero in falſum poterat converti, neceſſe eſt enim in rebus contrariis duabus: Contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat. Ex his igitur neceſſe eſt invito Epicuro alterum verum eſſe, alterum falſum: ut, Sauciabitur Philoctetes, omnibus ante ſeculis verum fuit: non ſauciabitur, falſum. Niſi forte volumus Epicureorum opinionem ſequi, qui tales enuntiationes nec veras nec falſas eſſe dicunt: aut quum id pudet, illud tamen dicunt, quod eſt impudentius, veras eſſe ex contrariis diſjunctiones: ſed quæ in his enuntiata eſſent, eorum neutrum eſſe verum. O admirabilem licentiam, & miſerabilem inſcitiam diſſerendi. Si enim aliquid in eloquendo nec verum nec falſum eſt, certé id verum non eſt: quod autem verum non eſt, qui poteſt non falſum eſſe? aut quod falſum non eſt, qui poteſt non verum eſſe? Tenebitur id quod á Chryſippo defenditur. Omnem enuntiationem aut veram

aut

aut falſam eſſe, ratio ipſa coget, & ex æternitate quædam eſſe vera, & ea non eſſe nexa cauſsis æternis, & á fati neceſsitate eſſe libera.

Ratio igitur] Sextus locus eſt per occaſionem Carneadeæ ſententiæ, quo probatur á Cicerone Diodori ſententia, de omnis veritatis neceſſitate, ſed tantæ impietatis argumentum hîc apertius eſt quám in ſuperioribus locis. Diſputatio tota eſt logica de axiomate contradictionis, quæ modo contrariorum nomine appellatur. *Contraria*] Diſjunctio ex contradicentibus abſoluté vera, eſt etiam neceſſaria, ut antea docui, quamvis partium neutra ſit neceſſaria: tu curres, aut non curres, neceſſaria diſjunctio eſt: attamen (tu curres) non eſt enunciatio neceſſaria, (tu non curres) non eſt enunciatio neceſſaria. Neceſſitas veritatis in diſjunctione (ut ſæpe jam dico) non pendet ex partium neceſſaria veritate, ſed ex neceſſaria ipſarum diſſenſione. Attamen Diodorus tantus (ut Ciceroni videtur) dialecticus ſic argumentatur, Contradictionis neceſſe eſt alteram partem veram eſſe, alteram falſam: itaque in hac contradictione, ſauciabitur Philoctetes, non ſauciabitur Philoctetes: altera pars eſt neceſſario vera, altera item neceſſario falſa, ergo priorem partem (ſauciabitur Philoctetes) quia eventus veram probavit, neceſſe erat veram eſſe, poſteriorem eſſe falſam. Hic Cicero Epicureos exagitat, qui diſjunctiones ex contradicentibus veras eſſe negarēt; aut certé ſi diſjunctiones veræ eſſent, partes earum tamē veras non eſſe. Itaque Cicero exclamat, O admirabilem licentiam & miſerabilem inſcitiam diſſerendi: ſed certé verius id in Chryſippum, Diodorum, Ciceronem ipſum exclamari poteſt, quám in Epicurum. Hic enim dialecticæ nullam ſcientiam habuit, & in hac inficiatione majorem inſcitiam, quám culpam oſtendit. At illi ex diſtortione præcepti dialectici, & ſophiſmate, capitalem humano generi fraudem commenti ſunt. Urgetur Epicurus ab ingenioſis illis & acutis logicis: Diſjunctio neceſſaria eſt (inquiunt) ergo partium altera neceſſarió vera, altera neceſſarió falſa: ergo fatum: ergo omne verum neceſſarium. Hic Epicurus tam terribili conſecutione terrebatur: Gordium ſcilicet nodū ſolvere non poterat, fregit. Et tamen quod Epicurus ajebat, id Ariſtoteles in ἑρμηνείᾳ videtur ante Epicurum dixiſſe, qui futuri cōtingentis enunciationem diſputat jam neque veram neque falſam eſſe, quamvis altera futura vera, altera falſa futura ſit. Sic enim ait in futuro contingenti contradictionis partem neutrā eſſe ἤδη ἀληθῆ ἢ ψευδῆ. *Si enim*] Contexit ſoritem tribus gradibus adverſus Epicureos, quo probare vult omnem enūtiationem veram eſſe aut falſam. Epicurei ſi tales eſſent, quales Cicero fingit,

reſiſterent ſecundo & tertio gradui. *Eloquendo*] Eloqui verbum eſt oratorium: hinc eloquens, orator appellatur, & ejus facultas, eloquentia nominatur. Hic autem dialecticé ſumitur pro enuntiare. *Tenebitur*] Concludit contra Epicurum, omnem enuntiationem veram eſſe aut falſam, pro Diodoro ex æternitate quædam vera eſſe, contra Chryſippum non eſſe nexa cauſſis æternis. De Diodoro idem error eſt, qui ante.

Ac mihi quidem videtur, quum duæ ſententiæ fuiſſent veterum philoſophorum, una eorum qui cenſerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim neceſſitatis afferret, in qua ſententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Ariſtoteles fuit: altera eorum, quibus viderentur ſine ullo fato eſſe animorum motus voluntarij: Chryſippus tanquam arbiter honorarius medium ferire voluiſſe, ſed applicat ſe ad eos potius, qui neceſſitate motus animos liberatos volunt. Dum autem verbis utitur ſuis, delabitur in eas difficultates, ut neceſſitatem fati confirmet invitus. Atque hoc, ſi placet, quale ſit, videamus in aſſenſionibus, quas prima oratione tractavi. Eas enim veteres illi quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici & neceſſitate dicebant. Qui autem ab his diſſentiebant, fato aſſenſiones liberabant, negabantque fato aſſenſionibus adhibito neceſſitatem ab his poſſe removeri: iique ita diſſerebant, Si omnia fato fiunt, omnia fiunt cauſſa antecedente: & ſi appetitus, illa etiam quæ appetitum ſequuntur: ergo etiam aſſenſiones. At ſi cauſſa appetitus non eſt ſita in nobis, nec ipſe quidem appetitus eſt in noſtra poteſtate: quod ſi ita eſt, ne illa quidem quæ appetitu efficiuntur, ſi ita in nobis ſunt: non ſunt igitur neque aſſenſiones, neque actiones in noſtra poteſtate. Ex quo efficitur, ut neque laudationes juſtæ ſint, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia. Quod quum vitioſum

ſit,

ſit, probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quæcunque fiant.

Ac mihi] Declarat tandem plenius totam Chryſippi ſententiam fatum probantis, neceſſitatem tamen improbantis, ad eamque rem ponuntur contrariæ veterum ſententiæ, quarũ medium Chryſippus ſequi voluerit. *Democritus*] Sic antea, Hinc Democritus author atomorum, accipere maluit neceſſitate omnia fieri quám á corporibus individuis naturales motus avellere. *Heraclitus*] Hic philoſophus omnia vera faciebat, & ideo partem contradictionis utramque veram: contra quem Ariſtoteles in philoſophia diſſerit.

Empedocles] Magna ſæpe Ariſtoteli lucta eſt adverſus hunc philoſophum: contradictionem hic utraque parte falſam ajebat eſſe: & refellitur ibidem cum Heraclito, in phyſicis multos ejus errores Ariſtoteles reprehendit. *Ariſtoteles*] Ariſtoteles tamen in libro περὶ ἑρμηνείας diſputat contra fatum hiſce feré argumentis, quæ pauló póſt adhibebuntur, & diſſerit aliquid verum futurum εἰς ἑκάτερον, neque neceſſarium, & Alexander in libro de Fato docet ex Ariſtotelis ſententia fatum eſſe cauſſam naturalem efficientem non neceſſarió, ſed frequẽter, ut quicquid fatale ſit, ſit etiam naturale, & quicquid naturale, fatale, ut fato caſus & voluntas hominis non ſubjiciantur, quæ ſola de tam multis philoſophorum ſententiis vera eſt. Id, inquam, Alexander ait, attamen Ariſtoteles, ut dixi, Epicureum illud dogma tueri videtur futuri cõtingentis enuntiatum jam nec verum nec falſum eſſe, quanvis tamen futurum ſit. Et in libello de mundo ἀνάγκην, εἱμαρμένην, πεπρωμένην, neceſſitatem, fatum, deſtinatum ſtatuit. at hic libellus Ariſtotelis non videtur eſſe, cum de mundi partibus pleraque narret Ariſtotelis temporibus nondum patefacta. *Arbiter*] Hæc forenſis ſimilitudo declarat á Chryſippo neutram veterum ſententiam penitus damnatam, nec omnino etiam probatam eſſe, ſicut arbiter honoris cauſſa ab utraque parte delectus, neque nihil, neque totum quod petitur tribuit. *Medium ferire*] Videtur legẽdum ſentire vel ſe ferre. Nam ſi metaphora ſit á ſagittariis, exactum quidpiam hic ſignificaretur, quod arbitrio non ſatis conveniret, medium autẽ quod μέσον verbum Platonis & Ariſtotelis in juſtitia proportionis arithmeticæ ſeu geometricæ valde conveniat: & infinitum, Voluiſſe, ſine alio verbo hic etiam oſtendit ſententiam plenam non eſſe. *Qui autem*] Argumentatio veterum, fatum tollentium, ſorite multorum graduum comprehenſa, in quo argumentum Carneadis antea poſitum idem feré repetitur. Gradus autem ſunt fatum, cauſſa antecedens, appetitus, appetitum ſequentia, aſſenſio. *At ſi*] Iteratur idem ſorites é quatuor poſtre-

mis gradibus, ſed additur gradus alius de laudationibus & vituperationibus. *Quod quum*] Aſſumptio connexi ſoritæ per remotionem ultimi gradus, ut cæteri gradus removeantur.

Chryſippus autem quum & neceſſitatem improbaret, & nihil vellet ſine præpoſitis cauſſis evenire, cauſſarum genera diſtinguit, ut & neceſſitatem effugiat, & retineat fatum. Cauſſarum enim, inquit, aliæ ſunt perfectæ & principales, aliæ adjuvantes & proximæ. Quamobrem quum dicimus omnia fato fieri cauſſis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, cauſſis perfectis & principalibus, ſed cauſſis adjuvantibus, antecedentibus, & proximis. Itaque illi rationi quam paulo anté concluſi, ſic occurrit: Si omnia fato fiant, ſequi illud quidem, ut omnia cauſſis fiant antepoſitis, verúm non principalibus & perfectis, ſed adjuvantibus & proximis. Quæ ſi ipſæ non ſint in noſtra poteſtate, non ſequitur ut ne appetitus quidem ſit in noſtra poteſtate. At hoc ſequeretur, ſi omnia perfectis & principalibus cauſſis fieri diceremus, ut quum hæ cauſſæ non eſſent in noſtra poteſtate, ne ille quidem eſſet in noſtra poteſtate. Quamobrem qui ita fatum introducunt, ut neceſſitatem adjungant, in eos valebit illa concluſio: Qui autem cauſſas antecedentes non dicent perfectas neque principales, in eos nihil valebit. Quod enim dicantur aſſenſiones fieri cauſſis antepoſitis, id quale ſit, facilé á ſe explicari putant. Nam quanquam aſſenſio non poſſit fieri niſi commota viſo, tamen quum id viſum proximam cauſſam habeat non principalem, hanc habet rationem, ut Chryſippus vult, quam dudum diximus, non ut illa quidem fieri poſſit nulla vi extrinſecus excitata: neceſſe eſt enim aſſenſionem viſo commoveri.

Chryſippus autem] Declarat quid Chryſippus inter veteres medium

dium ſequatur, idque cauſſarum diſtinctione, qua ille ſperabat ſe neceſſitatem effugere, ut fatum tamen retineret, quia omnia fierēt cauſſis præpoſitis, ſed alia principalibus & neceſſariis, alia proximis & non neceſſariis, & (ut clarius antea locutus eſt,) externis, ut aſſenſiones & actiones, & appetitiones hominum, quæ á viſis extrinſecus oblatis principium quidem ſuæ motionis acciperent, quod reliquum eſſet, ſuapte vi & natura moverentur: ſed Chryſippea calumnia eſt ad invidiam odioſæ opinionis deteſtādam inventa. Quid enim attinet potius appellari cauſſas illas adjuvātes, quám perfectas, ſi principium motionis inchoatæ reliqua motio neceſſarió conſequatur? Nam ſi viſum aliquod aſſenſionem movebit, & tamen non neceſſarió aſſenſio ipſa conſequatur, ſed reſiſtat, imo etiā in contrarium ſua ſponte, nulla externa cauſſa feratur, ſempiterna illa cauſſarum catena diſſolvetur: nec omnia antecedentibus cauſſis fient, quia aſſenſionis motio voluntaria erit, & ex ſe ſuaque natura prorſus orietur. Et ſic antea Carneades Tullio acutius agere videbatur, cum voluntatis noſtræ non eſſe cauſſas externas & antecedentes diſſerebat: Sic etiam ipſe ſua & voce & perſona in exemplis Stilphonis & Socratis diſſeruit, vitia quæ naturalibus & antecedētibus cauſſis naſcerētur, voluntate, ſtudio, diſciplina, id eſt, interioribus & principalibus, perfectiſque cauſſis extirpari & funditus tolli poſſe: Quare mirabilem diſſerendi ſcientiam in Chryſippeo iſto arbitrio nobis oſtendit, dum perfectas & principales cauſſas ab animis & perfectas externis & adjuvantibus ſubjicit: antea contra Chryſippum diſputavit cauſſas externas interioribus & principalibus edomari & comprimi: nunc pro Chryſippo contrarium diſſerit, externas illas principales ita conſeri & contexi, ut fatum efficiant. Hæc Chryſippi ſententia magis pauló póſt intelligetur. *Commota viſo*] Viſum vocat, non ſolúm quod oculis viſum ſit, ſed phantaſiam in Academico interpretatur, id eſt, oblatam á ſenſibus ſpeciem, vel etiam cogitatione fictam & depictam, qualia dormienſium, ebriorum, furioſorum viſa ſæpe nominat Cicero: ſic idem viſiones dicit. *Nulla vi*] Hic definitio quædam eſt, ut idem ſit vi externa excitari aſſenſionem & viſo commoveri. 1. Acad. Eſſe cenſuit é quadam quaſi impulſione oblata extrinſecus, quam ille φαντασίαν, nos viſum appellamus. In div. Huic omnia viſa objiciuntur á mēte & ratione vacua.

Sed revertitur ad cylindrum & ad turbinem ſuum, quæ moueri incipere niſi pulſa non poſſunt. Id autem quum accidit, ſuapte natura, quod ſupereſt, & cylindrum volui, &

verſari turbinem putant. Ut igitur, inquit, qui protruſit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: ſic viſum objectum imprimet illud quidem, & quaſi ſignabit in animo ſpeciem ſuam: ſed aſſenſio noſtra erit in poteſtate, eaque, quemadmodum in cylindro dictum eſt, extrinſecus pulſa, quod reliquum eſt, ſuapte vi & natura movebitur. Quód ſi aliqua res efficeretur ſine cauſſa antecedente, falſum eſſet omnia fato fieri: ſin omnibus quæcunque fiunt, veriſimile eſt cauſſam antecedere: quid afferri poterit cur nō omnia fato fieri fatendum ſit, modó intelligatur, quæ ſit cauſſarum diſtinctio ac diſſimilitudo?

Sed revertitur] Declarat apertius Chryſippi ſententiam exemplis, quorum ſimilitudine Chryſippus ipſe utebatur. At collationis hujus tum propoſitio, tum redditio falſa eſt: nec enim unquam cylindrus aut turbo ſuapte natura volverentur, cum pondera ſint, ſed cylindrus deorſum ſua gravitate labitur: in eoque motu figura cylindrica cauſſa eſt adjuvans: non perfecta & principalis, ut Chryſippus putabat. Turbo autem tandiu volvitur, quandiu vis extrinſecus impreſſa in eo permanet. Neque veró animus noſter tāquam cylindrus eſt, qui externo viſo impulſus labatur tanquam pondere. Sed cubus potius eſt qui quancunque in partem ceciderit: poſſit tamen apté conſiſtere: mens enim externo viſorum motu impulſa reſiſtere poteſt. Imó veró etiam aliorſum ſuo & libero & naturali motu ferri poteſt, cauſſaſque impulſionis externæ poteſt edomare: tumque σύνταξις καὶ συμπλοκὴ ἀπαράβατος ordo & ſeries immutatis diſſolvetur. Cylindri Chryſippei meminit Gellius lib. 6. cap. 2. & locum transfert his verbis á Chryſippo, Sicut (inquit) lapidem cylindrum ſi per ſpacia terræ prona atque dirupta jacias, cauſſam quidem & initium præcipitantiæ feceris, mox tamen ille præceps volvitur, non quia tu id jam facis, ſed quoniam ita ſeſe modus ejus & formæ volubilitas habet, ſic ordo & ratio, & neceſſitas fati genera ipſa & principia cauſſarum movet, impetus vero conſiliorum mentiumque noſtrarum, actioneſque ipſas voluntas cujuſque propria & animorum ingenia moderantur. Accommodat Gellius exemplum ad locum declivem & præcipitem: res eodem redit: labetur enim motus primum externo aliquo motu cylindrus, & ſecundum motum

motũ aliquid volubilitas adjuvabit, ſed præcipua cauſſa motus erit pondus & gravitas, eaque cauſſa erit neceſſaria, qualem Chryſippus in animis noſtris minimé vult. Itaque dum Chryſippus diſtinctionibus tam captioſis utitur, delabitur in eas difficultates, ut neceſſitatem fati confirmet invitus: quod antea Tullius etiam ſenſit, ſed neſcio quomodo in Chryſippi laqueos, quos antea tam prudẽter evitaverat, ſeſe induit, ut ad extremũ quod improbarat, cõprobare videatur. Quamobrem totum hoc arbitrium Chryſippi, æquitatis nihil habet, ſed fraudis eſt & malitiæ pleniſſimum. Quamvis enim prima impulſio ſit externa, ſi reliqua tamen neceſſario ſubſequatur, quænã relinquetur animis aſſenſio libera? Contexit Chryſippus catenam ex cauſſis conſertis inter ſe, & ſempiternis indiſſolubilem: deinde cúm invidia libertatis hominibus ereptæ prematur; in hac, inquit, cauſſarum catena ſunt etiam voluntates noſtræ liberæ ab omni neceſſitate & ſolutæ. Verba hic ſunt, res nulla. Nam ſi voluntates noſtræ ſint conſertæ cauſſis antecedentibus, ſic ut eas neceſſario ſequantur, quænam eſt iſta verborum libertas, cui rerum neceſſitas imponitur? *Quod ſi*] Repetitur argumentum Chryſippi toties adhibitum, & concluditur fallaci connexo, ſi aliquid fieret ſine cauſſa falſum eſſe omnia fato fieri. Sed primum verum, ſecundum igitur.

Hæc quum ita ſint á Chryſippo explicata, ſi illi qui negant aßenſiones fato fieri, fateantur tamen eas ſine viſo antecedente fieri, alia ratio eſt: ſed ſi concedunt anteire viſa, nec tamen fato fieri aßenſiones, quód proxima illa & continens caußa non moveat aßenſionem, vide ne idem dicant. Neque enim Chryſippus concedens aßenſionis proximam & continentem caußam eße in viſo poſitam, neque eam caußam ad aßentiendum neceßariam eße concedet: ut ſi omnia fato fiant, omnia fiant caußis antecedentibus & neceßariis. Itemque illi qui ab hoc diſſentiunt, confitentes non fieri aſſenſiones ſine præcurſione viſorum, dicent, ſi omnia fato fierent ejuſmodi, ut nihil fieret niſi prægreßione cauſſæ, confitendum eſſe fato fieri omnia. Ex quo facile intellectu eſt, quoniam utrique patefacta atque

lud Carneadis verbum, quod calumniam ſophiſmatis totam aperiret. *verbis*] Sed Chryſippus abutitur fati nomine, in quo liberas & non neceſſarias cauſſas complectitur, alii proprie appellant.

Omnino] Diſtinctio hic repetita eſt vera & utriſque probata. *Sed alteri*] Hic propria fati eſt appellatio, deeſt autem comparationis, pars altera pro Chryſippo.

Hoc modo hanc cauſſam diſceptari oportet, non ab atomis errantibus, & de via declinantibus præſidium petere. Declinat, inquit, atomus. Primum cur? Aliam enim quãdam vim motus habebunt, á Democrito impulſionis, quã plagam ille appellat, á te Epicure gravitatis & ponderis. Quæ ergo nova cauſſa in natura eſt, quæ declinet atomũ? aut num ſortiuntur inter ſe, quæ declinent, quæ non? aut cur minimo declinent intervallo, maiore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus aut tribus? Optare hoc quidem eſt, non diſputare. Nam neque extrinſecus impulſam atomum loco moveri & declinari dicis, neque in illo inani per quod feratur atomus, quicquam fuiſſe cauſſæ, cur ea non é regione ferretur: nec in ipſa atomo mutationis aliquid factum eſt, quamobrem naturalem ſui ponderis motum non teneret. Ita quum attuliſſet nullam cauſſam quæ iſtam declinationem efficeret, tamen aliquid ſibi dicere videtur, quum id dicat, quod omnium mentes aſpernentur ac reſpuant. Nec veró quiſquam magis confirmare mihi videtur non modó fatum, verumetiam neceſſitatem, & vim omnium rerum, ſuſtuliſſeque motus animi volũtarios, quám hic, qui aliter obſiſtere fato fatetur ſe non potuiſſe, niſi ad has commentitias declinationes confugiſſet. Nam ut eſſent atomi, quas quidem eſſe mihi probari nullo modo poteſt, tamen declinationes iſtæ nunquam explicarentur. Nam ſi atomis ut gravitate ferantur, tributum eſt neceſſitate na-

turæ, quod omne pondus nulla re impediente moveatur & feratur neceſſe eſt: illud quoque neceſſe eſt, declinare quibuſdam atomis, vel ſi volunt, omnibus naturaliter.

Multa deſunt.

Hoc modo] Exclamatio quædam eſt geſtientis Ciceronis, tanquam præclare veterum controverſiam arbitrio & diſceptatione ſua dijudicarit: at inconſtantia & levitas ſumma eſt. Diſputavit Cicero contra Chryſippum initio tam ſubtiliter, tamque dialecticé omnibus ejus argumentis reſtitit: tot locis eum Diodoro licet erranti, licet impiæ fraudis authori, tamen poſtpoſuit, ejus ſentétia fatalem neceſſitatem comprehendi confirmavit. Qui introducunt (inquit) cauſſarum ſeriem ſempiternam, hi mentem hominis voluntate libera ſpoliatam neceſſitate fati devinciunt: deinde in illis præclaris cauſſarum diſtinctionibus Chryſippi, quid de Chryſippo ait? Dum verbis (inquit) utitur ſuis, delabitur in eas difficultates, ut neceſſitatem fati confirmet invitus: & revera (ſicuti docui) neceſſitatem fati confirmat. Quid igitur eſt cauſſæ quamobrem hæc Chryſippi ſententia toties reprehenſa, toties improbata, toties damnata, tandem laudetur & approbetur? Vidit Cicero Chryſippi argutiolas & diſtinctiones ad veterum diſceptandam diſcordiam compoſitas: earum acumine neſcio quo modo captus eſt: Itaque non ſolúm probavit, ſed imitari etiam voluit, & Chryſippeæ logicæ Tullianam logicam parem demonſtrare. *Hoc modo*] Concluſa ſuperiorum concordia revertitur ad Epicurum, & ejus declinationem multis modis inſectatur, imperitiamque diviſis cauſſarum & ſubductis generibus exaggerat. *Plagam*] Antea Lucretius etiam plagam Democriticam attribuit Epicuro, non tantum pondus & declinationem. *Sortiuntur*] Alluſio quædam eſt ad Rom. magiſtratus, qui delecti á populo provincias ſortiebantur, quod eſt pauló aliter. & primo de fin. Nam ſi omnes atomi declinabunt, nullæ unquam cohæreſcent, ſive aliæ declinabunt, aliæ ſuo motu recté ferétur, prius erit hoc quaſi provincias atomis dare, quæ recté, quæ obliqué ferantur. *Cur minimo*] Urget tanquam é paribus motibus: minus autem illud antea dictũ eſt. Itaque quidam tertius motus oritur extra pondus & plagam, cum declinat atomus intervallo minimo: id appellat ἐλάχιστον. *Optare*] Sic antea admirabilem licentiam, & miſerabilem inſcitiam diſſerẽdi. *Nam neque*] Urget cauſſam declinationis per ſpecies motus violenti, naturalis. *Ita quum*] Concludit ἀλογίαν Epicuri in commento declinationis. *Nullo modo*] Geometricum illud antea fuit non modo corpus, ſed ne lineam ullam

lam eſſe individuam. *Nec vero*] Diſputat Epicurum hac commentitia declinatione non modó non evitare fatum, ſed etiam confirmare. Argumentum ex paribus eſt: motus ponderis eſt neceſſarius, ergo motus declinationis etiam neceſſarius erit. Epicurus utrunque negaret.

Maxima pars libri deinceps amiſſa eſt.

Habemus autem fati Ciceroniani diſputationem ex his reliquiis utcunque per nos collectam, in qua fati neceſſitas nulla perhorreſcenda eſt, ſed potius levitas hominum deploranda & miſeranda. Poſſidonius cæli affectione, Chryſippus naturæ contagione, divinatione, enũtiationis definitione, cauſſarum anteceſſione dum fatum ſuum nobis inculcant, perſpeximus, quám miſeris modis impediantur & hæreant: Diodorus, Epicurus, Carneades cõtra fatum Stoicis vehementer opponuntur, & omnibus viribus quaſi præliantur, ſed ita tamen, ut graviores ipſi plagas á ſeipſis accipiant, quám adverſariis imponãt: Diodorus dum fortuitam accidentiam, liberam utriuſque partis potentiam tollit, Dei hominiſque potentiam tollit. Epicurus providentiam hominum deorumque deſtruit, dum omnia fortunæ, temeritatique tribuit. Carneades divinationem, omnemque futurorum contingentium cognitionem de cælo detrahit, deoſque ſuos hominibus nihilo ſapientiores facit. Cicero qui judex harum ſentẽtiarum diſceptatorque videri voluit, Epicurum tametſi nihilo deteriorem contemnit, cæterorum ſceleratas & impias fraudes defendit: cum Diodoro neceſſitatem nobis imponit: cum Carneade divinationem cæleſtibus eripit: cum Stoicis æquiſſimo tandem, ut ſibi viſus eſt, arbitrio fatum, licet oppugnatum initio & damnatum, tamen ad extremum ita conſtituit: ut verbo libertatem relinquat, reipſa & æternæ ſeriei immutabilitate nihil hominum poteſtati relinquat.

FINIS.

Errata.

Numerus primus folium, cum puncto unico paginam primam, cum duplici ſecundam, ſecundus lineam ſignificat. Itaque lege,

3. 37 opinionum 4: 6 poſtulatum, enuntiatum, ſumptum 5. 22 ſenſus & 23 Magnetis & 24 ὁμονοίας 10. 6 Arceſilas & 14 unius gradus &: 29 inconſequentiã 12. 32 accenditque 13. 23 concludetur & 29 quæreretur 14. 35 craſſior ſit arteria 15: 23 Gracchorum &: 10 radiis 17: 42 πευτευσύοντες 18. 6 τ. poſt ν 20. 14 pro Socrate, repone Anaxagoram 26: 10 Nec Pœantiaden.

AD. TVRNEBI DISPVTATIO AD LIB. CICERONIS DE FATO, ADVERSVS Quendam qui non ſolum Logicus eſſe, uerumetiam Dialecticus haberi uult.

LVTETIAE,

Apud Michaelem Vaſcoſanum, uia Iacobæa, ad inſigne Fontis.

M. D. LVI.

EX PRIVILEGIO REGIS.

64

CLARISS. VIRO LANCILOTO

Carlo Epiſcopo Regienſi Ad. Turnebus.

S. P. D.

Ontrouerſia quædam V. C. mihi cum acerrimo diſputatore & antiquitatis reprehenſore nata eſt: cuius rei notionẽ cum pro tua ſingulari eruditione eſſe tuam intelligerem, te iudicem tuli, quem iniquum eierare nemo poſſit. Nam cum in omni nobiliſſimarum artiũ genere facilè excellis, tum ea es animi moderatione, integritate, æquitate, religione, fide, ut tibi paucos comparare poſſimus, anteferre neminem. Quòd ſi aduerſarius fortè apud te reſpondere recuſet, ne mireris: adhuc in omni contentione ita ſe geſſit, ut præſcribẽdo tutiorem ſe ſemper putauerit quàm litigando. Itaque quandocunque cogitur, à legitimis iudiciis ad populum prouocat, & domum turbam admittit: iudiciúmque de ſe ipſe domi exercet, ubi aliquem de ludo impudentiæ declamatorem ſibi patronũ iudex excitat, à quo coràm in os laudetur, nos uituperemur. Duræ uerò ſunt illius declamatoris partes, rémque difficilem ſuſcipit, præſertim cum res magni operis eſſet Athenis Athenienſes laudare. Sed aduerſarius quid acturus ſit uiderit, modo mea cauſa tibi nota probatáque ſit. Vale.

DISPVTATIO AD. TVRNEBI AD LIBRVM CICERONIS DE *fato, aduerſus quendam qui non ſolum* Logicus *eſſe, uerumetiam* Diale-*cticus haberi uult.*

SCripſi aliquando leui ſatis opera Cõmentariolum in librum Ciceronis *De fato: eum ego, quod mihi magnæ uoluptati fuit, non ſolum pueris, qui prima in literis rudimenta ponunt, profuiſſe animaduerti: uerumetiam hominibus nõnullis, qui tantos progreſſus in literis habent, ut duarum nobiliſsimarum artium titulis celebres, hominum cõmemoratione & ſermone floreant, non inutilem fuiſſe cognoui. Eius enim admonitione, quædam, in quibus humanitus errauerant, emendarũt.* Nam *ne multa commemorãdo exprobrare beneficium uidear: quæ de* Diodoro *ſomniauerant, quem* P*eripateticũ philoſophum æqualem* Chry*ſippi fuiſſe ſatis audacter nullo auctore, nullo adſtipulatore ſcripſerant, ingenuè mutarunt: & quæ in explicando motu atomorum de plaga, quã regionem acceperãt, oſcitantes hallucinati erant, à me* Lu*cretij auctoritate de ſententia deducti, libenter correxerũt: ac meam interpretationem ita auidè occupauerunt, ut mihi uerendum ſit, ne eius poſſeſsionem nullis interdictis recuperare poſsim.* Multa *etiam commemorare poſſem alia, quæ ſuis caſtigandis ex* Commentariolo *meo, ſi fatẽtur, ſumpſe-*

runt : ſi negant, ſurripuerunt. In quo quid ueritatis dignitas ualeret, facilè intellexi. Nam qui nullis aliquãdo Senatuſconſultis, nullis regum imperiis ceſſerant: ij ueritati libenter faſces ſummiſere, & ueritati facilè ceſſere. Itaque quanquam nonnulla defendũt, in quibus ab ipſis non tam concertãdi cupiditate, quàm ueri inueniẽdi uoluntate diſſenſi: tamen confido, ſi ueterum teſtimoniis, & argumentorum momentis ſententiam meam comprobaro, eos facilè in meam partem diſceſsionem eſſe facturos. Ac meum fortaſſe nonnullum uitium ſit, qui, dum breuitati ſtudeo, minus intellectus ſim. Nunc dabo operam, ut ita dilucidè planéque res tota explicetur: ita omnia ueterum ſententia teſtata, rerum auctoritate confirmata ponantur, ut uerum facilè extet & appareat. Verũtamen eſt quod merito conqueri poſſim, quod in me per ſummam iniuriam inuaſerunt, cui pro beneficio ſaltem gratiam habere debuerant. Qui enim errorem aliquem meum uel diſsimulare, uel tegere, uel ſubleuare debuerunt: infenſi & iniqui impetum in me potiſsimum fecerunt. In quo ut eruditionem fortaſſe & eloquentiam, quam ſibi arrogant, oſtentare potuerint: certe philoſophiæ officiis, cuius ſe profeſſores appellant, defuerunt: ac ſciẽtiam & orationem ſuam, quàm uitam, laudari maluerunt. Ego morum curam quàm ingenij uenditationem bonis hominibus eſſe potiorem & antiquiorem debere ſemper putaui. Id etiam eo odioſius eſt, quòd quemadmodum frons fugitiuorum & nequam ſeruorum olim inſcribebatur: ita mihi pro maſtigia, uelut in ipſa fronte notas inurere tentarunt, cùm initio libri me reprehendendum potiſsimum cenſuerunt.

uerunt. Sed, ut ſpero, ita eorum reprehenſionem refellam, & in quo me reprehendunt, ita eos affines culpę eſſe oſtendam, ut ipſorum fronti meritò notæ illæ impingi debeant. Intelligẽt enim aliud eſſe impudenter aliquid affirmare, & tanquam pro ſuo iure ſumere, aliud ueterũ teſtimoniis confirmatum, rerum auctoritatibus probatum aliquid in mediũ afferre. quod, ne longior ſim, hinc facere iam aggredior.

Quæſtio de fato ad quem locũ philoſophiæ pertineat, parum mihi cum aduerſario conuenit. Ait enim eam eſſe totã logicæ, ſic enim loquitur: ego ad mores pertinere contendo. Hic ut errori ſuffragaretur ſuo, Ciceronis literam deprauauit. Nam cum in bonis libris Petri Victorij opera editis, legeretur, Quia pertinet ad mores, quos ἤθη illi uocãt, nos eam partem philoſophiæ de moribus appellare ſolemus: ſed decet augentem linguam Latinam appellare moralem, explicandáque uis eſt & ratio enunciationum, &c: cúmque eam literam etiam inueniſſem in libris ſcriptis, & in Commẽtario meo ſecutus eſſem: noſtræ tamen operæ in deprauatam illam lectionẽ, quæ à multis recepta eſt, incidiſſent, admonui, cum id animaduertiſſem, explicãdáque, non ut uulgò explicãda, in bonis libris ſcribi, quod ſecutus erã. Ex huius ſcripturæ deprauatione errorem ſuum tuetur aduerſarius, nóſque oppugnat. legit enim explicanda ſine cõiũctione, et ait hãc de fato, & περὶ δυνατῶν diſputationẽ dialecticam eſſe totã. In quo te Dialectice noſter interrogo, cenſeáſne ita à Cicerone hanc eſſe conceptam libri propoſitionem, ut cum de fato diſputaturus eſſet, nomen eius taceret, nomẽ eius, quod fieri poteſt, poneret? atqui id nõ eſt ue-

riſimile. Alioqui cur non librum potius de eo quod fieri poteſt, quàm de fato inſcribebat, præſertim cum res alia ſit, & illa περὶ δυνατοῦ quæſtio, particula tantum quædam ſit, ac potius acceſsio huius de fato diſputationis? Duos autem in philoſophia locos, quod ignoraſti, eóſque diuerſos, de fato, & de eo quod fieri poteſt, fuiſſe ex Plutarcho cognoſce: ὁ δὲ τοῦ δυνατοῦ λόγος πρὸς τὸν τῆς εἱμαρμένης λόγον, αὐτόθεν πῶς οὐ μαχόμενόν ἐστιν; id eſt, Illa de eo quod fieri poteſt diſputatio, nónne apud eũ planè cũ fati diſputatione pugnat? Nam ſi una & eadẽ eſt, ut tu uis, illa περὶ δυνατοῦ, & de fato quæſtio, uelim tu, qui tã acutus es, mihi dicas, cur Plutarchus Chryſippũ ſcripſerit, in eo quod fieri poteſt, & in fato ſecum pugnare, potius quàm in fato? cur enim duo capita poſuit, ſi, ut tu uis, unum eſt? Sed duæ ſcholæ erant, quod, ut alia multa, ignoraſti. Itaque Chriſippus libros περὶ εἱμαρμένης, id eſt de fato, ut Euſebius oſtendit, ſcripſerat: tu περὶ τῆς εἱμαρμένης ſcribis, & artus orationi minime deſiderãti inculcas, ignarus Græcæ conſuetudinis: & περὶ δυνατοῦ, id eſt de eo quod fieri poteſt, libros quatuor ad Clitum. Proinde ſi tantum de de eo quod fieri poteſt, Cicero ſe diſputaturũ pollicetur, cur non Chryſippum ſecutus, de eo quod fieri poteſt, librum inſcripſit? Vt enim, ſi cum uim enũciationũ, quæ de re futura aliquid dicũt, déque eo quod fieri poſsit, explicare uellet, ridiculus eſſet, ſi ſe de fato ſcripturum proponeret: ita ineptus uideretur, ſi cum de fato ſcribere inſtitueret, ſe de iſtis enunciationibus ſcripturum profiteretur. Diuerſas autẽ eſſe diſputationes hic diſſerere fortaſſe non debui, cum & omnibus propè id notum ſit, & tu id penè fatearis, qui quæſtio-

nem

nem περὶ δυνατῶν *fati cauſa adhiberi dicis, & mihi imprudẽs adſtipularis: quod tamẽ in priori editione tibi in mentem non uenerat, qui quidem eo quod fieri poteſt, totã contineri fati quæſtionem cenſueras, nec aduentitium quoddã caput eſſe uideras.* Appendicem *autem ut ſcias hanc quæſtionem eſſe, neque eam ſolam in propoſitione attingi debuiſſe, ſed aliquid ei de fato præponi oportuiſſe,* Ciceronem *audi.* Sed *ad illam* Diodori *contentionem, quam* περὶ δυνατῶν *appellant, reuertamur.* Vidéſne Ciceronem *planè ſignificare locum eſſe, qui in hanc diſputationem incidat? Qualis igitur orator fuiſſet, ſi in propoſitione acceſſionis tãtum mentionem feciſſet, iuſti operis oblitus eſſet.* Ac *non dubito, quin idem tibi uideatur: non enim in ea ſum opinione, in qua multos eſſe uideo, qui in te aliquid literarum, ingenij fere nihil eſſe putãt.* Ego *te iſta uidere certo ſcio, ſed te honori uellificari tuo exiſtimo: cuius ne iacturam facias, times, ſi multa in eo libro mutes, cui nobilem illam profeſſionem eloquentiæ & philoſophiæ debes. Quod autem ais hanc de fato quæſtionem eſſe totam* Logicæ *(uerba enim uſurpo tua) id contra te diſputare non auderem: ſcio enim quàm ualens* Dialecticus *ſis, niſi iam tecum pedem contuliſſem, & ſerum eſſet referre: nam galeatum ſero duelli pœnitet, ut ſatyra dicit. Qua quidem in re unum tãtum deprecor, ne, quod apud cãdidatos tuos iactare in nos plerũque ſoles, hîc dicas, nos inſcitia diſſerẽdi labi. non enim hoc* Dialecticus, *præſertim tantus, dicere, ſed rationibus homines confutare debet.* Ais *te non ſolum* Logicum *eſſe, uerumetiam* Dialecticum *haberi uelle: per me quidem* Logicus *ſis*

ætatem : ſcio enim quanto tibi labore nomen iſtud partum ſit. Memini *tuas præclaras in* Ariſtotelem *&* Ariſtoteleos *pugnas : ut non maiori armorum contentione* Alexander *imperium* Aſiæ *quæſiuerit, quàm tu capitis dimicatione* Dialectici *nomen comparaueris.* Sed *quod inter nos dicere liceat,* Dialecticus *haberi non uis.* Nam *quo tandẽ pacto eũ* Dialecticum *habebimus, qui quid conſequens, quid repugnans ſit, non uideat?* Scribis *enim, quæſtionem de fato totam eſſe* Logicæ*: nec multo pòſt, totam eam quæſtionem eſſe moralem.* Nos *enim pro noſtro mediocri captu ſic ratiocinamur,* Si *tota* Logicæ *eſt, quis locus morali philoſophiæ in ea relinquitur?* Totũ *enim qui dicit, nihil excipit. niſi fortè cenſes* Logicen *moralis philoſophiæ eſſe partẽ, aut moralem* Logices. Quod *ſi ſentis, næ libẽter à te diſſentio, neque ullo tuo iudicio dialectico unquam perficies, ut tibi aſſentiar.* In *hac ſalebra hæreas neceſſe eſt, quã poſteriori interpretatione tibi moleſtiorem & impeditiorem reddidiſti.* Nam *ſi logicam eſſe totam quæſtionem dixiſſes, peccaſſes: ſed ſalua tibi tamen* Dialectica *tua.* Poſteaquam *uerò conuitio quodam propè omnium expreſſum atque extortum eſt, ut confitereris quæſtionem eſſe moralem, ſic te intricaſti, ut cũ illud tuũ mutare nolis, & te expedire non poſsis, & apud hominum exiſtimationem in dubium de* Dialectices *poſſeſſione uenias: rem enim eandem totam logicam eſſe, & totam moralem affirmas, quod nemini probari poteſt.* Itaque *hîc acumen tuum dialecticum ualde deſideramus.* Nec *uero ſi particula huius diſputationis, quæ poſita eſt in enunciationibus*

ciationibus de re futura, ad Dialecticum pertinet: idcirco tota logica cenſenda eſt. Nam & in his reliquiis, quæ diſſerũtur de contagione naturæ, & de cauſarũ anteceſſione, aliena ſunt à Dialectica, & omnia fere quę deſiderãtur, ab ea abhorrebãt. Hîc ſi ſederet iudex Plutarchus, ſcilicet ſententia ſua te abſolueret: qui ſic ſcribit de fato, περὶ γὰρ τούτων τὰ πολλὰ ζητήματα, φυσικά τε, καὶ ἠθικὰ, καὶ διαλεκτικὰ τυγχάνει ὄντα, *id eſt, In eo enim multæ quæſtiones naturales, morales, & dialecticæ uerſantur. Ecquid uides Plutarchũ hîc à te diſſentire, nec totam iſtam diſputationem logicam exiſtimare, cũ tam multa contineat, quæ ad mores & naturã referri debeant? Ac profecto fati cognitio propriè ad naturam pertinet: ſed quia conformationem morum, uitæque diſciplinam maximè attingit, ideo Cicero moralem uideri uoluit. Sed quid tecum hîc rationibus & aliorum teſtimoniis pugno? cùm te Ciceronis ipſius auctoritate confutare poſſim, qui, ut opinor, idoneus ſui interpres eſt, & teſtis hac in re fidei plenus. Is igitur ita ſcribit lib. ij. De diuin. Quibus rebus editis, tres libri perfecti ſunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quæſtio continetur: quæ ut plenè eſſet cumulatéque perfecta, de diuinatione aggreſſi ſumus his libris ſcribere: quibus, ut eſt in animo, ſi de fato adiunxerimus, erit abunde ſatisfactum toti huic quæſtioni. Ecquid intelligis Ciceronẽ dicere, ad eundem philoſophiæ locum, diſputationem de fato, de natura deorum, de diuinatione, pertinere? & tamen in libris De natura deorum, & De diuinatione, nemo ut opinor tam imprudẽs ſit, ut à Cicerone quæſtionẽ dialecticam tractari dicat. Quòd ſi quæ-*

ſtionem de fato cenſes propterea logicam eſſe, quod eam, ut dicis, æſtimare ſit Logices, *quid non hac interpretatione logicum erit? Cur nõ libros* De *natura deorum, &* De *diuinatione, iſto modo totos* Logicæ Cicero *eſſe dixit? In tantum* Dialecticum *tam ſtulta & ridicula interpretatio cadere non debebat.* Quanto *tibi eſſent omnia procliuiora & expeditiora, ſi ſententiã meam ſecutus eſſes, ac quæſtionẽ* περὶ δυνατῶν *logicam (id enim eſt, ut opinor, quod* Plutarchus *dicit, locum de fato dialecticas quæſtiones multas habere) de fato moralem pronuntiaſſes.* Nam *cõtra hanc interpretationem, præter meras calumnias & uerborum captiones adferri nihil poteſt: tua uero à nullo defendi.* Itaque Laërtius *hoc loco ſententiam ſecundum te non feret, qui in enumerãdis* Chryſippi *de* Dialectica *libris, quatuor de eo quod fieri poteſt refert.* Hanc *etiam litem* Origenes *ſecundum te non dabit, & quod fieri poteſt,* Dialecticæ *adiudicabit, téque ultro increpabit, & malum patronum eſſe dicet, qui tam male* Dialecticæ *poſſeſſiones, iuráque defendas.* Is *enim ita ſcribit,* τῆς δὲ λογικῆς ἔχεται ἐντρεχείας τε καὶ θεωρίας ὁ περὶ δυνατῶν τόπος, *id eſt, ad logicam pertinet ſolertiam & cognitionẽ locus de eo quod fieri poteſt.* Quod *autẽ* Poſidoniũ *dicis ſtudio* Aſtrologiæ *oblectatũ, fatũ ſyderibus attribuiſſe, in eo peccas, quòd aliã eius quàm* Chryſippi *ſententiam putas, nec eam totam cõplecteris.* Nam *ſi in ſimul ægrotantibus fratribus, cauſam eſſe dicebat in ſyderũ & cœli conſtitutione & affectione: nõ tamen idcirco in aliis rebus fatum non eſſe iudicabat.* Fatum *enim etiam in omni naturæ contagione (quãdo* Stoicis *omnibus fatum eſt* Deus *ipſe & natura)*

natura) in oraculis aliíſque rebus ponebat: à cælo tamẽ potiſsimum, ut Chryſippus, *proficiſci ſtatuebat.* Cicero de Poſidonio: *Quanquam huic quidem hic ſcribit prædictum, in aqua eſſe pereundum: qui locus ad oracula, niſi fallor, pertinet: & ibidem de eodem.* Nihil enim *ei ſcribit eſſe prædictum . ſed & libro priore* De diuinatione *, cum* Quintus de Poſidonij *ſententia dixiſſet à deo, à fato, à natura uim omnem diuinãdi rationémque repetendam eſſe, fati explicationi omnia artificioſæ & naturalis diuinationis genera ſubiicit : et lib. poſteriore* M. Cicero. *cum ſcribit* Poſidonij *ſententia uim quandam ſentientem atque diuinam, quæ toto confuſa ſit mundo, ad hoſtiam deligendam ducere, ſatis, ut opinor, ſignificat* Poſidonium *nõ in ſyderibus tantum fatum poſuiſſe, ſed per omnem mundi continuationem & naturæ coniunctionem ordinem ſeriémque cauſarum permanare credidiſſe.* Idem Poſidonius παλμικὸν οἰώνισμα *ſcripſerat, quod non feciſſet, ſi in ſyderibus tantum fatum eſſe ſenſiſſet .* In Diodoro *adhuc peccas, quem facis uelut ab inferis excitatum, contra* Chryſippum *diſputare, temporis ignarus. Ita aliqua ex parte uulnus erroris priſtini curaſti, ſed ad cicatricem tamen non perduxiſti . Nam quî potuit cum* Chryſippo *diſputare, qui ante* Chryſippum *natum erat mortuus, & in* Dialecticis Arceſilæ *præceptor fuerat?* Non Diodorus *in* Chryſippum *, ſed* Chryſippus *in* Diodorum *diſputauit in libris* περὶ δυνατῶν*, & in libro quem inſcripſerat* πρὸς κλειτινὺς πρὸς διόδωρον. Laberis *igitur ignoratione temporis.* In Ciceronẽ *autem quàm acerbus & aſper es in* Diodoro *: cum quid dicat & ſentiat, tamen non intel-*

ligas? Etſi enim aliquid in præfatione de aſperitate nonnũquam remittis, & aliquanto æquiorem te præſtas, toto tamen Commentario *immanem acerbitatem ſpiras. eandem in reliquis moderationem, idem temperamentum adhibere debueras: quod feciſſes, niſi nimium multa mutanda tibi fuiſſent.* Nunc *paſſim ita in* Ciceronem *intemperanter inueheris, ut maledictis oneratum & peſſimè mulctatum dimittas, & eũ impia fraude obligare ſuum caput prædices.* Totius *illius diſputationis* Diodoreæ *ſummam perſtringã: eáque tibi patefaciam, de quibus nihil unquam cogitaſti.* Velim *autem à* Diodori *cauſa me remoueas, nec, ſi eius defendi poſſe ſententiã dicam, me eam approbare putes.* Nam Ariſtotelis *iudicium in enunciationibus de futuro mihi uehementer placet: nihilque mercam, ut ab eo recedam.* Arceſilas *cùm* Diodori *inſtitutione* Dialecticam *didiciſſet, séque poſtea* Stoicis *oppoſuiſſet, quibuſcum illi certamẽ omne ſuſceptum erat,* Diodori *logicis diſputationibus plerunque utebatur, & eius inſtituto reliqui* Academici *noui.* Huius *autem loci controuerſia duabus in rebus poſita erat.* Diodorus *enim enunciationes, quæ de futuro aliquid dicunt, ueras eſſe aut falſas putabat:* Stoici *nec ueras nec falſas, ut docet* Seuerinus Boëtius. Huic *alterũ addebat, id demũ fieri poſſe, quod uerũ eſſet, aut uerũ futurũ eſſet: quod ſecus eſſet, fieri nõ poſſe.* Nã, *ſedebis, aut uerũ aut falſum declarat: ſi uerũ, eueniet, & enunciationẽ euẽtus fides cõprobabit: ſi falſum, nõ eueniet.* Id *ea ratione, quæ* κυριεύων λόγος *dicebatur, cõfirmabat: quæ ex eo nomen inuenit, quòd in ea* κύριος εἰμὶ τοῦ ποιεῖν, κύριος εἰμὶ τοῦ πράττειν, *ut opinor, diceretur.* Eã

porrò

porrò rationem ex eo concludebat, quòd uerum in præterito neceſſarium eſſe contenderet, & impoſsibili impoſsibile conſequens non eſſe argumentaretur: ex quo ſequi id fieri poſſe cenſebat, quod aut iam eſſet, aut futurum eſſet: atque ita eius, quod δυνατὸν dicitur, aliam definitionem afferebat quàm Ariſtoteles. Has *duas quæſtiones hoc libro, quod uidere nunquam potuiſti,* Cicero *tractat.* Hæc *ſententia & probabilitatem aliquam habet, ut defendi poſsit, nec ullam impietatem ſuſcipere cogitur, cum cauſas fatales non inducat: ac, ſi in ea impium aliquid hæreret, ualde imprudente & inuito* Diodoro *fieret, qui ita ſe compararat, ita ſuam familiam liberóſque inſtituerat, ut ſanctiſsimus, religioſiſsimus, integerrimus ab omnibus exiſtimaretur.* Itaque *ab eius domeſtica diſciplina profectæ quinque filiæ* Dialecticæ *pudiciſsimè uixerũt, earúmque pudicitiam & uitæ caſtimoniam* Philo Carneadis *magiſter, hiſtoriæ iuſtæ mandauit.* Nec *ſi ea aduerſus* Stoicos Cicero *nititur, debet ei eſſe fraudi, cũ præſertim multo ueriſimilius ſit, quod uerũ in futuro eſt, neceſſario euenire, quàm fatum admittere, cũ etiam cauſam eo dimittat, ut* Epicuri *exemplo, ſi neceſſe ſit, enunciationem omnem negare malit uerã eſſe aut falſam, quàm fato omnia fieri comprobare.* Sed *mirum eſt quã* Tireſiæ *modo oculis captus, hoc libro toto uaticineris: ac, ſi tibi integrum fuiſſet, à me admonitus, longe aliter omnia ſecunda editione publicaſſes: quorum nonnulla moderatus es, reliqua conſtantiæ cauſa, & ut honeſtatem atque adeò amplitudinẽ tuã defenderes, ita ut erant, reliquiſti.* Neque *uerò ſi quis ab* Ariſtotele *recedat, id protinus impium ha-*

*bendum eſt.*Id *enim ſi nefas & criminoſum eſſet,non uideo quis locupletior quàm tu reus futurus eſſet.*Nec Diodorum *fefellit neceßitas diſiunctionis ex contrariis,ut tu falſo putas: ſic enim argumentabatur :* Omnis enunciatio *eſt uera aut falſa: ergo cras ambulabis , aut uerũ , aut falſum erit. fac uerum: eueniet igitur omnino , cum in futuro nihil uerum ſit,niſi exitu confirmatum.* Hîc *autẽ inter eũ &* Ariſtotelem *hoc intereſt,quòd* Ariſtoteles *harum enunciationũ uim incertam,& conditionem pendentẽ facit: ipſe infinitis ante tẽporibus,aut ueras iam,aut falſas eſſe pronuntiat.* N*am ambulabis ſi eloquar,ídque futurum eſt,ex æternitate,ut cenſet,uerum erat:& quia uerum erat,euẽturum eſt.* Nec *propterea fatum introducitur ,quanquã* Ariſtoteli *uidetur:ſed* Diodoro *hîc fidem nõ fecit. fortuitæ enim & tumultuariæ & aduentitiæ cauſæ efficere poſſunt, ut id eueniat quod ſic enunciatum eſt.*Igitur Diodori *ſentẽtia, ut tu hoc ſcias, nullam impietatem inducit : nam nec fatum defendit,& cauſas fortuitas & uoluntarias retinet,ac nobis utrũuis licere et liberũ eſſe putat.*Quid enim Diodorus *ait? ſi eſt uerũ te uenturũ eſſe,uenies.quod hanc, ut opinor, habet ſentẽtiam, utrũque tibi facere licere,poßéque te uenire, & non uenire : uerum tamen ſi uenturus es , id eſt , ſi hæc enũciatio uera eſt,uenies : alioqui ſi nõ uenies (quod tibi liberũ & integrũ eſt) uerũ non erat,uenturus es, ſed falſum.* Itaque *non tam de rebus , quàm de uero & falſo id accipiendum eſt.*Sentit *enim* Diodorus,*quod uerum eſt, in falſum commutari non poſſe:quod falſum, in uerum.* Id *autẽ* Diodorum *ſenſiſſe audi ex* Cicerone:Nec *ſi omne enunciatum,*

tum, uerum aut falſum eſt, ſequitur illico eſſe cauſas immutabiles, eáſque æternas, quæ prohibeant quicquam ſecus cadere atque caſurum ſit. Fortuitæ *ſunt cauſæ, quæ efficiãt ut uerè dicãtur, quæ ita dicẽtur,* Veniet in Senatũ Cato, *nõ incluſæ in rerũ natura atque mundo: & tamen tam eſt immutabile uenturũ, cũ eſt uerũ, quàm ueniſſe: nec ob eã cauſam fatũ aut neceßitas eſt extimeſcenda.* Non *uides hîc neceßitatem excludi fatalem, & aliam alterius cuiuſdã generis neceßitatem, quæ pertimeſcenda non ſit, induci?* Non *uides hîc* Diodori *diſputationem non longe abeſſe ab eo, quod à tam multis hodie defenditur, qui ſe pios & religioſos homines cenſent: ſi ex conditione, quã patres noſtri obligationem uocabant, aliquid uerum in futuro ponatur, non poſſe non euenire? ut, ſi uerum eſt, ex conditione, in profluẽtem me mittes, ita eueniet. diceres, in tua poteſtate eſſe id non facere, neque te id facturum eſſe: reſponderent illi, ex conditione uerum poni non debuiſſe quod falſum erat.* Fere *eodẽ modo in iis, quæ in futuro uerè dicuntur, euentũ ſecuturũ dicit: nam in futuro etiã uerũ eſſe contendit: quod ſi eſt, non poſſe non euenire, quæcunque id tandem cauſa ad exitum perductura ſit.* Hæc, *ut opinor, ſententia nulla neceſsitate fati deuinctos & irretitos animos noſtros tenet.* Id Cicero *ita clamat, ut ſurdus exaudire poſsit. ſic enim ſcribit:* Ita *ſemper uerum fuit, morietur* Epicurus, *cum duos & ſeptuaginta annos uixerit,* Archonte Pitharato: *neque tamen erant cauſæ fatales, cur ita accideret: ſed quod ita cecidiſſet, certè caſurum, ſicut cecidit, fuit.* Nec *ij qui dicunt immutabilia eſſe, quæ futura ſint, nec poſſe uerum futu-*

rum conuerti in falſum, fati neceſsitatem confirmant, ſed uerborum uim interpretantur. Nunc in Ciceronem *uelut fanaticus aut temulentus exclamato, & tragœdias excitato tuas: nunc* Deum, *non* Opt. Max. *ſed ex tuo cognomine nobis* Dialecticum, *nouus pontifex cõſecrato. Hîc ſi tuas ineptias imitari uellem, quanto uerius exclamarem:* Vtinã *uel nũquam reprehenderes, uel intelligeres: utinã uel* Dialecticus *eſſes, uel tibi eſſe non uidereris: utinam ſaperes, aut non ſcriberes.* Iam *quod ais* Ciceronem *inconſtanter facere, qui obrutus fluctibus opinionum, ad* Chryſippeos *ſcopulos euectus,* Chryſippi *tandem fatum comprobarit, ſatis ſignificas te nihil ingenij, nihil iudicij habere: ut neminem mediusfidius unquam uiderim, qui maiori conatu maiores nugas loqueretur. quem te hîc iudicem habemus, qui nocentem abſoluas, innocentem damnes?* At *ego eam in* Chryſippo *hærere culpam tibi oſtendam, téque ignorantiæ conuincam.* Chryſippus *enim modo fatum nectebat ex anteceſsione & præcurſione cauſarum adiumenta habentium, nos tamen nulla neceſsitate conſtringentium: atque ita animi libertatem relinquebat: quod te hoc libro* Cicero *ipſe docebat, ſi attentus fuiſſes.* Eius *uerba proferam:* Chryſippus *autẽ cum & neceſsitatem improbaret, & nihil uellet ſine præpoſitis cauſis euenire, cauſarũ genera diſtinguit, ut & neceſsitatem effugiat, & retineat fatum. modo idem* Chryſippus *fatum cõtexit ex ordine & ſerie cauſarum efficientiam neceſſariam continentium.* Cicero *hoc libro de* Chryſippo: Dũ *autẽ uerbis utitur ſuis, delabitur in eas difficultates, ut neceſsitatem fati confirmet inuitus.* Fati *etiam*

definitio

definitio à Chryſippo poſita, quam deprauatam ſemper affers, ego tibi emẽdatam proferam, eandem fati neceſsitatẽ complectitur: εἱμαρμένη ἐστὶ φυσικὴ σύνταξις τῶν ὅλων, ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ συμπλεκομένων, ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. *id eſt,* Fatum *naturalis quædam ſeries eſt rerum omnium, ex æternitate aliis alia conſequentibus, & quodã nexu conſertis immutabili.* Idem *etiam* Plutarchus *ſcribit,* ὁ δὲ λέγων ὅτι χρύσιππος οὐκ αὐτοτελῆ τούτων αἰτίαν, ἀλλὰ προκαταρκτικὴν μόνον ἐποιεῖτο τὴν εἱμαρμένην, ἐκεῖ πάλιν αὐτὸν ἀποδείξει μαχόμενον πρὸς αὐτὸν, ὅπου τὸν Ὅμηρον ὑπερφυῶς ἐπαινεῖ περὶ τοῦ Διὸς λέγοντα,

τῷ ἔχεθ' ὅττι κεν ὔμμι κακὸν πέμπῃσιν ἑκάστῳ
ἢ ἀγαθόν. *id eſt,* Qui *autem ait à* Chryſippo, *non in perfecta harum rerum cauſa, ſed antecedente tantum, fatũ eſſe poſitum, illic rurſus eum ſecum pugnare demonſtrabit, ubi* Homerum *eximiè laudat de* Ioue *dicentem,*

Nam quodcunque boniue maliue is mittit, habetis.

Si illos Ciceronis *locos alternos comparaſſes, ſi hæc ueterum ſcripta iſtis de rebus euoluiſſes: poſtremò ſi iudiciũ illud dialecticum, quod in ore ſemper, in mente nũquam habes, adhibuiſſes, nõ tam inconſyderatè ſcripſiſſes, nec à* Chryſippo *culpam remouiſſes, & in* Ciceronem *tranſtuliſſes.* Quare *in hac tua præclara præfatione nihil eſt quòd quæras, quid pro* Cicerone *dici poſsit, quẽ immeritò accuſas, & per ſummam iniuriam & calumniam condemnas: uerùm potius quid pro te dici poſsit ſic hallucinante, & alias res agente.* Valde *enim is patronus diſertus fuerit, qui tuã cauſam hominibus ſanis & intelligentibus probauerit.*

Ad locũ, Quia pertinet ad mores, errare Logicum.

Non ponitur ipſa quæſtio initio, ut tu putas, cum περὶ δυνατῶν *dicitur, ſed ponebatur cũ* Cicero *de fato ſe ſcripturum profitebatur: nam quæſtio non eſt in particula & appendice, ſed in ea re quæ tractanda ſuſcipitur.* Itaque *legẽdum eſt, explicandáque, ut in* Commentario *admonui, &* Petrus Victorius *legit ex ueteribus libris: & quæſtio de fato (*Id *enim etiam atque etiã hîc iterabo, ut tu dolore inſcitiæ tuæ conficiaris) ad moralem philoſophiam pertinet: diſputatio* περὶ δυνατῶν, *ad* Logicen. Sic *igitur* Ciceronis *locum conſtrue,* De *fato diſſerẽdum eſt, quia pertinet ad mores, explicandáque uis eſt enunciationum in re futura, quæ tota ad* Logicen *pertinet.*

Ad locum, Quid poßit fieri aut non poßit, male reprehendi Ciceronem.

Deum immortalem, quid hoc rei eſſe dicam, ut tu uir in eloquẽtia & philoſophia tantus, hîc pueri inſtar ſapere non uideare? Atqui *ne in te error iſte inueteraret, & ut te corrigeres, ſine cõtumelia leniter admonueram: ſi tu is eſſes, qui uerum facilè uideret aut fateretur, non errorem ueterẽ noua pertinacia plerunque, & nouo errore cumularet.* Quid? Ciceronem *hîc cenſes* τὸ δυνατὸν, *definire, id quod fieri poßit, aut non poßit?* In *eum cadere tantum flagitium non poteſt.* Quanto *ueriſimilius eſt, à te* Ciceronem *intellectum non eſſe? magno mihi adiumẽto eſt in te refellendo, id quod multis in rebus animaduerti, te ſemper ad reprehendẽdum paratiorem eſſe, quàm ad intelligẽdum.* In *partitionibus cũ legis,* Vt *illa prima ſint ſuaſori aut diſſuaſori uidenda, quid*

aut

aut poſsit fieri aut non poſsit, interpretariſne, ab eo definiri τὸ δυνατόν? *Cur igitur hìc potius?* Nos, *qui* Dialectici *non ſu-
mus, uide quãto facilius in auctoribus uerum inueniamus.*
Locus *erat in* Dialectica, *qui* περὶ δυνατῶν *ex parte diceba-
tur, & ad enunciationes pertinebat, quæ de re futura ali-
quid dicunt, quod fieri poſsit aut non poſsit: quorum prius
ad* δυνατὸν *pertinet, poſterius ad* ἀδύνατον. Nam *etſi locus* περὶ
δυνατῶν *inſcribebatur, tamen quod te tantum* Dialecticum
minime fallit, cùm eadem ſcientia contrariorum ſit, etiam
περὶ ἀδυνάτου *in eo diſputabatur.* Huius *rei fidem facit, quod
ex epiſtola ad* Varronẽ *citaui, Sin autem non es,* τῶν ἀδυνά-
των *eſt te uenire.* Ergo *hîc cũ* περὶ δυνατῶν *dicit, titulũ quæ-
ſtionis ſignificat: cum quid fieri poſsit aut nõ poſsit, dicit: ea
de quibus in illa* περὶ δυνατῶν *quæſtione diſſerebatur, attin-
git.* Alioqui *cũ uim* τοῦ δυνατοῦ *ſolius explicat, ſic ſcribit omiſ-
ſo contrario.* Sed *ad illam* Diodori *contentionem, quam*
περὶ δυνατῶν *appellant, reuertamur: in qua quid ualeat
id quod fieri poſsit, inquiritur.* Noli *igitur poſthac hìc* Ci-
*ceronem reprehendere, ſed miſeram iſtam & perditam
tuam ignorantiam deplora.* Huic *academiæ quàm turpe
futurum eſt, apud exteras nationes, quàm indecorum, te
eloquentiæ & philoſophiæ præeſſe, qui in diſciplinam ali-
cui magiſtro erudiendus locari debueras?* Cum *autem ais*
Ciceronem *inane & indiuiduum nouaſſe, quæ antea in
lingua* Latina *uocabula non erant,* Lucretij *oblitus eſſe ui-
deris: in quo frequentiſsimè hæc legũtur.* Enunciatio *autem
ab* Ariſtotele ἀπόφανσις *appellatur, ut ſcripſerã. tu* πρότασιν
falſo dixeras, ſed ἀπόφανσιν, *à me admonitus, addidiſti.* πρό-

τασις autem, & reliqua, quæ affers omnia ex Ariſtotele, ἀπόφασιν non declarant, nec exprimunt, cum eius tantum apud Ariſtotelem ſpecies quædam ſint. Cæterùm cum ais poſsibile à Plauto uſurpatũ eſſe, locum, ut opinor, Stichi ſignificas, & publicũ ſequeris errorem, qui poſsibile pro proſtibile legis: ſic enim legendum eſt (quod ſenſus flagitat: cuius nũquam tibi cura eſt) Proſtibile eſt autem, ſtãtem ſtanti ſuauium dare amicum amicæ. Alij proſtibuli legunt. nam poſsibile Plauti ætate, potis & pote dicebatur.

Logice.

Totus tremo horreoq́;, quoties mihi hîc Logices aut Dialectices nomen attingendũ eſt. Intelligo enim rem mihi eſſe cũ eo homine, qui profiteatur ſe non ſolũ Logicũ eſſe, uerũ etiam Dialecticum haberi uelle, qui diſsimilis ſit priſci illius Amphiarai, qui fortiſsimus eſſe, ut ait Aeſchylus, nõ haberi uolebat, qui ab illa arte nos ut profanos à rebus ſacris arceat. Tamen pro mediocri mea prudẽtia, ſine artificioſis rationũ cõcluſionibus, uideor aduerſus eũ cõſiſtere in bona cauſa poſſe. Ais ſenſum perridiculum eſſe, ſi logice legatur. Obſecro te, ſi dicerem: Diſputatio de uirtute, philoſophia quædã eſt, aut philoſophia eſt, quid in ea re tibi ridiculum uideretur? Nam etſi ars philoſophiæ & præceptio non traderetur, tamen quòd in iis rebus oratio uerſaretur, quæ propriẹ philoſophiæ eſſent, non ineptè ſic, ut dixi, enuntiaretur. Tu, cuius in ore ſemper feruent tropi & figuræ, genus hoc dicẽdi agnoſcere debuiſti. Nam cũ dicitur, Diſputatio de uirtute philoſophia quædam eſt, diſputatio ea philoſophica intelligitur.

telligitur. Sic ſcelus pro ſceleſto conſuetudo Comicorũ uſurpat. Sic cœnum, portentũ, labem, pro lutulentis, prodigioſis & impuris Cicero dicit. Terentius ſtipitem & caudicẽ, pro ligneo & tardo. Illud eiuſdem multo apertius,

Tu quantus quantus, nihil niſi ſapientia es. id eſt, totus ſapientia es, totus ſapis. Lucretius planè eodem modo locutus eſt, quem eo libentius cito, quòd eius uerſum emendabo, in quo Chritonia nullo ſenſu legitur,

Paruula, pumilio, χαρίτων μία, tota merum ſal.

id eſt, elegãs tota & ſalſa. Plinius de Deo, Totus eſt ſenſus, totus uiſus, totus auditus .i. totus ſentit, totus uidet, totus audit. Nũc aude dicere, perridiculam lectionem fore, ſi Logice legatur? Equidem tecum Logicæ in gignendi caſu eodẽ ſenſu legerem, ſi à Cicerone Logica dici nominandi caſu ſoleret, non Logice. In Cicerone autem interpretando hoc inter te & me intereſt, quòd ego magna religione & fide ſemper uetera exemplaria ſequor: tu magna licẽtia & impunitate, mendoſam plerũque ſcripturam tueris. Cum autẽ ais permulta eſſe phyſica in diſputatione περὶ δυνατῶν, à ſolita tua ignorantia non recedis. mihi illa de enunciationibus diſputatio tota logica eſt, non phyſica, ut & Ciceroni, cui ſi plus fidei habeo quàm tibi, mihi ignoſcere debes. Is autem ſic ſcribit, Explicandáque uis ratióque enũciationum. in quo, ut opinor, ſe phyſicum nihil tractaturum proponit.

Quod autem.

Prolepſis eſt, inquis, quòd hæc de fato diſputatio, non in utramque partem diſputetur. Aude poſthac interpretari Ciceronem, qui in tam facili & plano loco labaris. Quid?

non afferuntur argumẽta Stoicorum *pro fato , & Acade-micorum contra fatũ?* Diſ*putatur igitur in utramque par-tem,ſed non perpetua oratione,ut in libris* De *natura deo-rum &* De *diuinatione .* N*am illic perpetua oratione ſen-tentia* Epicuri *explicatur : mox contra eam à* Cotta *perpe-tua oratione diſſeritur: quod idem poſtea ſit in* Stoicorũ *ſen-tentia.*In *diuinatione liber unus eam probat, alter impro-bat.*Hic *autem* Stoicorum *argumenta ponuntur , mox re-felluntur, non perpetua oratione, ſed quodam altercationis genere .* Q*uòd ſi quid perpetuum ſit , intellexiſſes , ſenſum etiam huius loci perſpexiſſes .* Id *autem facilè uidiſſes , ni-ſi oculos ſuffuſos habuiſſes ignorantiæ nube , & mentem gloriæ caligine obſeſſam.* Gaudeo *tamen, quòd mihi credi-diſti,*Hirtium *ſcribi debere, non* Hirciũ.*Cum autẽ in* Offi-*ciis* Ciceronem Academicum *facis,fieri nõ poteſt,quin exi-ſtimaueris* Panætium,*quem ſequitur,*Academicum *fuiſſe: aut quid unquam* Stoicum *eſſe poterit, cedo?*Nec *uero par-titioni diſputationum* Academicarum *, quam excogitaue-runt coniurati cælum reſcindere fratres, quorum unus iam pene defluxit,& morbum iurauit , ac in ea cauſa eſt , ut ſi ſeruus uendatur,redhiberi poſsit, fidem habeo : quæ ſi uera eſſet, tamẽ quod dicis ex ea partitione,in libro* De *fato tra-ctando & diſputando ſine contradictione , quod probabile uidetur,explicari, falſum eſſet , cùm aperta ſit in libro* De *fato contradictio.*

In Puteolano.

Sui cum Hirtio *in* Puteolano *colloquij ſic in epiſtolis ad* Atticum *meminit :* Sed *caſu cum legerem tuas literas,* Hir-

tius

tius erat apud me in Puteolano. mox iterum: Ego autẽ perſpexi, cũ à me ſeptimo decimo Calendas de Puteolano *Neapolim,* Panſæ *conueniẽdi cauſa, proficiſceretur* Hirtius, *omnem eius ſenſum. Seduxi enim, & ad pacem ſum cohortatus.* Non *poterat ſcilicet negare ſe uelle pacem.* Maxime *autem hîc ſcire uellem, cũ ſcribis,* Academicas *quæſtiones eſſe ſcriptas in* Cumano Ciceronis*, alicuiúſne auctoris fide id ſcribas, an tuo more harioleris.* Nam *ex epiſtolis ad* Atticũ, *potius in* Arpino *aut* Tuſculano *ſcriptas coniicerem.* Mox *gaudeo tibi probari,* Idq́ue, *quod ſatis incõſideratè & abſque iudicio tuo dialectico in itaque mutaueras.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

An præcipua differendi de fato occaſio ſit, quòd philoſophiæ coniunctione augeatur eloquentia.

Hîc omitto, quòd occaſionem pro cauſa dicis, cùm apud Dialecticos *ueſtros & bonos ſcriptores, hæc magnũ diſcrimen habeant: ſed ut cauſa ſit ſcribendi, quòd philoſophię cõiũctione augeatur eloquẽtia, certe pręcipua nõ eſt: ſed cauſa omniũ maxima eſt & grauiſſima, quod philoſophiã* Latinis *literis mãdare decreuerat, ut ciuibus ſuis prodeſſet, ut cũ iam de natura deorũ, & de diuinatione ſcripſiſſet, deinceps queſtionẽ de fato ad eundẽ locũ pertinentem ſubiicere deberet.* Lege *omnes eius prefationes, intelliges, quę ſint pręcipuę ei ſcribendi de philoſophia cauſæ.* Mox *ſequitur ſomniũ illud tuũ de diſtinctione* Dialectices *&* Rhetorices: *quod, cum deſtertueris, tibi ad coniectorem deferendum cẽſeo: quanquã ſi me audis, hîc nũquã euigilabis, nec te ſuſcitari ſines.* Hæc *enim eſt ſeges gloriæ, hæc materia laudis tuę:*

huic diſtinctioni eloquentiam & philoſophiam tuam acceptam ferre debes: quā ſi tibi excuti ſiueris, nudus & ſpoliatus momento temporis, eloquentiæ & philoſophiæ profeſſionem amiſeris. Hæc *te diſtinctio primùm in* Ariſtotelē, *mox etiam in* Ciceronem *armauit: hæ ſunt aræ, hi ſunt foci tui, pro quibus tibi pugnandum eſt.* Itaque *quandocunque eius occaſio incidit, quàm beatus, quàm fortunatus tibi uideris? ut in articulo rem arripis, & ſummam doctrinæ tuæ nobis ſub uno uelut aſpectu ponis?* Hæc *argumēta ſunt tragœdiarum tuarum: hæc ſunt, in quibus tu ſudare, ſtulti ſtupere, ſani ridere ſolent.* Itaque *hìc quàm te magnificè effers? etiā* Sus Mineruam*, id eſt,* Ciceronē *doces, quē nihil iſta de re unquam ſuſpicatum fuiſſe exiſtimas: quanquā ex bello illo in librū* Ciceronis De legibus Commētario *tuo locū proferre poſſem, in quo hanc accuratam diſtinctionem eum nō ignoraſſe ſcribis, ut te auctore idem ignorauerit & ſcierit.* Sed *quid hanc odioſam diſtinctionem, quam his decem annis obtinere nulla contentione potuiſti, inſeris? an ut ueterē tuam fabulam, quam toties ſpectauimus inuiti, nobis reponas, & uulnus obductum exulceres?* Hìc *etiam mentionem facere* Brutinarum *quæſtionum, quas tu non imitatione prudentiſſimi illius & eruditiſſimi* Bruti *ſcripſiſti, ſed illius improbi rabulæ exemplo, qui accuſationes factitauit, ut tu reprehenſiones: uerūtamen hìc* Brutinarū *quæſtionum mētionem facere audes? quas quidem ſi tu me irritaueris, ita tibi exornatas dabo, ut homines miraturi ſint, in te tantum impudentiæ & ignorantiæ eſſe potuiſſe, qui ea reprehēdere*

auſus

auſus ſis, quæ nullo modo intellexeris.

In Brumali die male me reprehendi.

Cum annotaſſem genus dicendi, quo Brumalis dies pro bruma dicitur, idq́ue exemplis Plinij & Ciceronis probaſſem, indoctiſſimus iſte, Vallæ Commentariorum hunc in librum furunculus, auſus eſt ſcribere, hoc nihil ad propoſitum pertinere. Sed ſi nihil ad propoſitum, cur quod meum eſt, tranſcribis, uel potius compilas? Cur in locutionibus annotandis ſic elaborat Grammaticorum induſtria? Nam ut iſta explicatio ad illuſtrandos auctores propriè pertinet, ſic ſuperuacaneæ eſt operæ, & male feriatæ, ſyllogiſmorum conſectatio, introducta nuper à quibuſdam Germanis, à te poſtea uindicata, à ueteribus Grammaticis in auctorũ explicatione præterita, quòd communis quædam res & peruagata eſſet: partes autem interpretis exiſtimarẽt, quæ loci alicuius propria eſſent, ea perſequi. Itaque nullum de ueteribus, qui hoc genus interpretationis ſecutus ſit, quo philoſophiæ & eloquentiæ tuæ ſumma continetur, reperies. Ego uero & brumalem diem pro bruma dici, ad rem pertinere contendo, & ſolſtitialem diem pro ſolſtitio. Cicero Tuſculana prima: Quæ uerò occidẽte ſole, decrepita: eo magis, ſi etiam ſolſtitiali die. Vt quidem locũ profers, nihil ad rẽ, qui neſcio quid de pulegio hîc balbutis, ac me credidiſti pulegij cauſa auctoritates illas adhibuiſſe: ut minus mirer à te Ciceronem non intelligi, qui in loco tam facili non uideris quid uellem. Rectè uerò, quòd in Icadio duos errores tuos ſanè iſta eloquentiæ & philoſophiæ profeſſione indignos, admonitu meo emendaſti. Nam cum ignoraſſes, quid præ-

do in Cicerone eſſet, pro prædone latronē ſcripſeras, in Cō- mentario, tuóne, an Vallæ dicam? planè tuo, cum erras: cum non erras, Vallæ. Quem meorum quidam familiarium, facetus ſanè & lepidus homo, in libro De fato ueruecem tuū ſectarium uocat. prædones autem piratas, & libro tertio Officiorū, & in lege Manilia Cicero appellat. Alterū tuū peccatum correxiſti fœdiſsimum: lapidis enim caſu interfe- ctum ſcripſeras Icadium. ita tibi ſaxum & lapis idem erāt. Cum autem Icadium interficis, magna cura mercatores liberas, quibus tutò nauigare licebit, iam nō infeſto myoparone eius mari. Itaque præmium petas cenſeo, qui piratam ſuſtuleris. Sed te diuinitus planè ſcire oportet, qui interfe- ctum ſcribas. Cicero enim tantùm in crura eius ſaxum incidiſſe ſcribit.

In quadrigis errare Dialecticum.

Scribis homo quidē diſertus & philoſophus (nā de te nūquā niſi honorificè loqui decreui. itaq; aliter ſi te appellarē, iniuriam tibi facerem.) ſed agitator tamē malus, quadrigas eſſe quatuor equos iunctos ſine curru, quales in Circenſibus ludis certabant. Vellem id uel Grammatici, uel auctoris alicuius teſtimonio cōfirmaſſes. Inuētor enim quadrigarum Erichthonius, ad currum equos iungebat. Virg.

Livius lib. 1 q. 20. A.

Primus Erichthonius currus & quatuor auſus
Iungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere uictor.

Sed dices Virgiliū more Græco id ſcripſiſſe, nō ex Circi Romani conſuetudine. Satis tamen conſtat à cōſuetudine Heroicorum temporum, quibus homines è curru pugnabant, Olympiorum quadrigas, & Circi ludos ortos eſſe. Romæ

autem

autem Circenſibus ludis currus fuiſſe, ex Virgilio cognoſce:

Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Addunt in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens,
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Nam etſi currum pro equis poëta immutauit, tamen id fecit, quòd in quadrigis currus eſſet. Alio loco apertius:

Nónne uides cùm præcipiti certamine campum
Corripuere, ruúntque effuſi carcere currus?
Cum ſpes arrectæ iuuenum, exultantiáque haurit
Corda pauor pulſans? Illi inſtant uerbere torto,
Et proni dant lora: uolat ui feruidus axis.

Lucilius apud Ciceronem ad Atticum,

Suſtineat currum, ut bonus ſæpe agitator, equóſque.

Hæc à poëtis illis de quadrigis Circenſibus ſcribuntur, ſi quid intelligis. Plinius: Nam in Circo ad currum iuncti, nõ dubiè intellectum adhortationis & gloriæ fatẽtur. Gellius: Cõtra autem quadrigas, etiamſi currus unus equorũ quatuor iunctorum agmen unum ſit, pluratiuo ſemper numero dicendas putat. Itaque in quadrigis equi duo iugales dicebantur, qui ad iugum currus iuncti erant. eos Græci ζυγίους uocãt: duo funales extra iugũ, unus ſiniſterior, alter dexterior. Suetonius in Tyberio: Dehinc pubeſcens Actiaco triũpho, currũ Auguſti comitatus eſt, ſiniſteriore funali equo, cum Marcellus Octauiæ filius dexteriore ueheretur. Hi à Græcis σειραῖοι dicuntur & σειροφόροι. etiã δεξιόσειρος, dexterior equus dicitur. Nos à Circi conſuetudine equos bellatores in hiſtoriis Gallicis dextrarios appellari legimus, cũ præſertim dextrationẽ pro aurigatione uſurparit Solinus:

quod ideo fecit, quia dextrouerſum flexus metæ luſtrabatur. Sic à Circi *factione, quæ ruſſata dicebatur, equos bellatores* Ruſſatos *&* Ruſsinos Galli *appellare uidentur.* Sed *& quòd olim nobiles & generoſi equi, ſtragulis pulcherrimis, & tanquam pallis ornabantur, ut illud indicat,*

Inſtratos oſtro alipedes, pictíſque tapetis:

idcirco Gallicæ *hiſtoriæ, ut id etiam obiter dicam,* Palliferos *uocare ſolēt pulcherrimos & ornatiſsimos equos.* Noli *igitur poſthac, uelut pro poteſtate iſta ſic edicere: nondū enim* Pythagoræ *apud nos auctoritatem adeptus es: ſed* Grammaticos *imitare, qui teſtimoniis ſententiā ſuam confirmant, edicta non proponunt.* Quid *autem hîc te feſellerit, dicam.*

[illegible]

Legeras *apud* Grammaticos *in uocabulariis, quadrigas eſſe quatuor equos iunctos.* De *tuo, ſine curru addidiſti, quòd quid iungere eſſet, nō intelligeres.* Id *enim eſt equos ad currum aut ad plauſtrum adiungere.* Ouidius,

Iungere equos Titan *uelocibus imperat oris.*

id eſt, ad currum iungere. Virgilius:

Atque idem iungat uulpes.

id eſt, ad curriculū iungat, aut ploſtellū. Quo *in loco nō dubito quin mirifica quædam fuerit interpretatio tua, cum* Bucolica *tanto indoctorum concurſu, quos infatuaſti, explicares.* Martialis,

Et cum currere debeas Bouillas,

Interiungere quæris ad Camœnas.

[illegible] etymologia [illegible] in Carmine:

Nam *interiungere dicit, unum iter iuſtum diuidere, & in eo interquieſcere, quòd interea equos, qui quieuerint, unūque illud iter uno labore conficere potuerint, in medio itine-*

re

re iungamus. Iuriſconſulti etiam tranſiungere ad edictum ædilium uſurpãt, pro in diuerſam partẽ ad currũ, aut plauſtrum, aut rhedã, aut carrucã iungere: ut à ſiniſtra in dextram, aut contrà. Vlpianus, Quæſitũ eſt ſi mula talis ſit, ut tranſiungi non poßit, an ſana ſit? Valerij autem hiſtoria, quam pro te eſſe cenſes, planè contra te facit, præſertim cum Valerius ſcribat, Philippum iuſsiſſe, toto ſuo regno currus diſiungi: ut Valerius & Philippus utique quatuor equos cum curru intellexerint. Itaque cum tam clarè id à Valerio ſcribatur, mirum eſſe mihi uidetur, quî ſic effaſcinata mens tua fuerit, ut id animaduertere non potueris. Cum autem Valerius ait diſiunctos eſſe currus iuſſu Philippi, ſignificat Philippum uetuiſſe, ne quis quadrigas ad ludos Olympicos, aut alios qui in Græcia erãt, haberet. Id τεθριπποτροφεῖν, *&* ζευγοτροφεῖν *Græci dicebant, &* ἱπποτροφεῖν. *Mox tergiuerſaris ambiguus animi, & incerto errore uagaris: meam enim ſententiam inuitus, & uero uictus approbas. Deinde non minus niger, nec minus confidens, quàm Terẽtianus Phormio, tuam tibi eripi non ſinis, & tibi credi poſtulas,* ἅρμα, *quatuor equos iunctos ſine curru, ſignificare poſſe. Sed fides tua nobis iam in dubium uenit, toties in mendacio deprehẽſa: & cõtra te facit tota Homeri Ilias, Pindarus, Aeſchylus, Sophocles, Grammaticorum cohors, quibus ſi potius quàm tibi credimus, ægrè ferre non debes. Nam ſi* τέθριππον *aut* τέτρωρον *diceres, ueriſimilitudinẽ id aliquã haberet:* ἅρμα *autem, quid aliud quàm currum ſignificet, non uideo.*

An captioſa & fallaci cauſarum diſtinctione Cicero captus, approbet Chryſippi ſententiam: & quid contagio naturæ.

Miſerum me, quoties Chryſippi definitionem ſic uitioſam & maculoſam Commentario *inculcabis tuo, ac quæ non intelligis,* Latinè *conuertes? Quid enim, rogo, ſibi uult illud* μετὰ πολὺ μὲν οὖν *? parum profectò uides in literis, qui non animaduerteris legendum eſſe* συμπλεκομένων, *id eſt, conſertis & connexis. Cum autem ais definitionem iſtam fati, primùm à* Cicerone *refelli: deinde ab eodem captioſa cauſarum diſtinctione capto approbari, non plus quàm talpa uides. Nam primùm, ut antè docui, ea* Chryſippi *culpa eſt, non* Ciceronis. Chryſippus *enim modò ex neceſſariis cauſis cõſertum eſſe fatum affirmabat: modò, ut animi libertatem retineret, ex præcurrẽtibus cauſis nullam neceßitatem habentibus contextũ eſſe dicebat. Quod tu tantus in eloquentia & philoſophia uir, quantus mihi, non tibi uideris, ſi attendiſſes, profectò* Ciceronem *nunquam reprehendẽdum tibi duxiſſes.* Deinde *illa cauſarum diſtinctio, pace tua, nec captioſa nec fallax mihi uidetur. Eſt enim huiuſmodi:* Cauſarum *aliæ perfectæ ſunt & principales, aliæ adiuuãtes & proximæ. Eſt hæc eadem à* Cicerone *in* Topicis *cauſarum facta diſtributio: nulli tamen unquã interpreti uenit in mentem, ullius in ea captionis annotãdæ. nec mirum.* Non *enim illam tibi, tanquam* Palladiũ Troianis, *aut ancilia* Numæ, *cælitus demiſſam* Dialecticam *didicerant. Cuius tamen myſteria uulgo profano enuncias: nos ſolos, qui aliis*

aliis omnibus ea non uidemur indigni, adytis arces: neque à te impetrare poſſumus, ut in ea aliquid ſcire uideamur. Ac mea quidem ſententia iſtud bellè & ſcitè commentus es. Nam cum cæteris deſtitutus præſidiis doctrinæ, his quæ tibi obiiciuntur, reſpondere nō poſsis, in Dialectices *nomine deliteſcis: cuius nos ignaros eſſe prædicas, ac rem apud indoctos uerbo tranſigis,* Peccant *ignorantia* Dialectices. Cuius *obſecro* Dialectices*? huiúſne, quā hoc anno edidiſti? quî eā cognoſcere potuimus, ante quàm didiciſſes & edidiſſes? anno enim ſuperiore alia tua fuerat ſententia, ut libri quos publicaſti, teſtantur.* Vt *enim ſegetes, annuas fruges: arbores, annuos fructus: ſic tu annuos* Dialecticarum *fœtus parere nobis ſoles, non eoſdem tamen, ſed diſsimiles ſemper, ut eundem parentem non agnoſcamus.* Itaque *non dubito, quin proximo anno nouum mōſtrum pariturus ſis, abdicato priore partu.* Aut *igitur malitioſè nos celas, neque mirificam iſtam* Dialecticam *docere uis, aut tu eius indoctior es, quàm quiſquā noſtrum.* Nos *enim certam quādam, & minime uacillantem in ea pro noſtro captu ſententiam habemus: tu, qui ſæpius ſententiam, quàm ueſtem mutas, nihil in ea certum, nihil exploratum habere uideris: quod profecto à cognitione & perceptione artis alieniſsimum eſt.* Quare *aut* Dialectices *ſcientiam tibi arrogare poſthac deſine, aut quotannis ſentētiam mutare caue.* Nam *illa commutatio ſuſpicionem affert ignorantiæ, ut conſtantia, opinionem doctrinæ.* In *contagione, ſi gratus eſſes, beneficium agnoſceres: atque eum laudares, qui ex* Cicerone *te docuit eſſe, quam* Græci συμπάθειαν *uocant: in qua*

ex continuatione naturæ totius cohærentis & continuatæ, res rebus conſentiunt: quod non facerent, ſi mundi partes diſtractæ & diuulſæ eſſent. Nam quia inter ſe coniunctæ & continentes ſunt, ut animantis unius, quemadmodum cenſent Stoici, *ſit proinde ut altera alterius cauſam aut euentũ contineat, altera alteri reſpondeat, altera alteri porrò tradat, nihilque gignatur, quod non antecedentis effectũ ſit, cauſa conſequẽtis.* Q*uid enim in priore editione ſcripſeras? nempe contagionem rerum uocari earum naturam & qualitatem, quæ ſuo ueluti contactu afficiunt: quibus* Ci*ceronis ſententia non ſatis illuſtrabatur. quædam poſteriori editione de meo addidiſti: ita tamen, ut nõ ſatis uim contagionis perſpicere uidereris.* E*ſt autem cõtagio hîc ad uerbum,* συνάφεια *aut* συναφὴ, *id eſt, contactus & continuatio rerum in mundo, ut arbitrantur* Stoici, *nihil diſiunctum, nihil diſtractum habente.* Ea ex Syneſio *intelligi poteſt, ſic ſcribente:* Δεῖ γὰρ, οἶμαι, τοῦ παντὸς τούτου, συμπαθοῦς τε ὄντος καὶ σύμπνου, τὰ μέρη προσήκειν ἀλλήλοις, ἅτε ἑνὸς ὅλου μέλη τυγχάνοντα. καὶ μήποτε αἱ μάγων ἴυγγες αὗται. καὶ γὰρ θέλγεται παρ᾽ ἀλλήλων, ὥσπερ σημαίνεται. καὶ σοφὸς ὁ εἰδὼς τὴν τῶν μερῶν τοῦ κόσμου συγγένειαν, ἕλκει γὰρ ἄλλο δι᾽ ἄλλου, ἔχων ἐνέχυρα παρόντα τῶν πλεῖστον ἀπόντων, καὶ φωνάς, καὶ ὕλας, καὶ σχήματα. ὥσπερ ἐν ἡμῖν σπλάγχνου παθόντος, ἄλλο συμπέπονθεν· καὶ τὸ τοῦ δακτύλου κακὸν, εἰς τὸν βουβῶνα ἀπερείδεται, πολλῶν τῶν μεταξὺ μὴ παθόντων. &c. Id eſt, *Mea enim ſententia, cùm hoc uniuerſum conſentiat & conſpiret, eius partes quadam inter ſe cognatione coniunctas eſſe neceſſe eſt: cum præſertim integri unius membra ſint. Ac uide ne iſtæ ſint magorũ illecebræ.* Al*iæ enim partes aliarũ illices*

illices ſunt, uti ſignificant. Ac ſapiens is demũ eſt, qui partium mundi cognationem compertam habet: aliam enim per aliam trahit, præſentia eorum, quæ longiſsime abſunt, habens pignora, uoces, materias, formas. uelut in nobis cum aliquod è uiſceribus ægrotat, aliud cum eo afficitur: & digiti malũ in inguine ſignificatur, multis ſine offenſione interpoſitis. Ex *his ſatis intelligitur, quid hîc ſit naturæ contagio: quod &* ex Cicerone *te ſatis docueram. Sed & eam rem luculentè nobis hunc in modum* Alexander *explicat:* φασὶ δὴ, τὸν κόσμον τόνδε ἕνα ὄντα, καὶ πάντα τὰ ὄντα ἐν αὑτῷ περιέχοντα, καὶ ὑπὸ φύσεως διοικούμενον ζωτικῆς τε καὶ λογικῆς καὶ νοερᾶς, ἔχειν τὴν τῶν ὄντων διοίκησιν ἀΐδιον, καθ' εἱρμόν τινα καὶ τάξιν προϊοῦσαν, τῶν πρώτων τοῖς μετὰ ταῦτα γινομένοις αἰτίων γινομένων, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ συνδεομένων ἁπάντων ἀλλήλοις· καὶ μήτε οὕτω τινὸς ἐν αὐτῷ γινομένου, ὡς μὴ πάντως ἐπακολουθεῖν αὐτῷ, καὶ συνῆφθαι ὡς αἰτίῳ ἕτερόν τι· μήτε αὖ τῶν ἐπιγινομένων τινὸς ἀπολελῦσθαι δυναμένου τῶν προγεγονότων, ὡς μή τινι ἐξ αὐτῶν ἀκολουθεῖν ὥσπερ συνδεόμενον. ἀλλὰ παντί τε τῷ γινομένῳ ἕτερόν τι ἐπακολουθεῖν ἠρτημένον αὐτοῦ ἐξ ἀνάγκης ὡς αἰτίου· καὶ πᾶν τὸ γινόμενον ἔχειν τι πρὸ αὐτοῦ, ᾧ ὡς αἰτίῳ συνήρτηται. μηδὲν γὰρ ἀναιτίως μήτε εἶναι, μήτε γίνεσθαι τῶν ἐν τῷ κόσμῳ, διὰ τὸ μηδὲν εἶναι ἐν αὐτῷ ἀπολελυμένον τε καὶ κεχωρισμένον τῶν προγεγονότων ἁπάντων. Id eſt, Dicunt igitur, *cum hic mundus unus ſit, réſque omnes in ſe complectatur & arceat, & à natura quadam animata rationis & intelligentiæ compote regatur, eum habere omnium rerũ adminiſtrationem ſempiternam, ſerie quadam & ordine progredientem, cùm prima cauſas contineant ſequentium, atque hoc modo omnia inter ſe mutuo nexu colligata ſint:*

ac ſic in eo nihil quicquam fiat, ut non id tanquam cauſam, rem aliam comitetur, eique coniungatur, nec eorũ quæ poſtea gignuntur, quicquam diſiungi poßit ab iis quæ antè orta ſunt, quin ut ex eis aptum & nexum ſequatur. Sed *& ea omnia quæ orta ſint, aliud neceſſariò cõſequi, ex iis uelut cauſa pendens: & quicquid gignitur, aliquid quod antecedat, habere, unde ut à cauſa pendeat.* Nihil *enim ſine cauſa nec eſſe, nec oriri in mundo, propterea͂que nihil in eo diſiunctum ſeparatúmque eſſe ab iis omnibus, quorum anteceſſerit origo.* Cũ *autem in* Cicerone *legis, natura loci pertinet, & operatur aliquid, & à bonis libris recedis, &* in Ciceronis *lectione te non eſſe uerſatum oſtendis, in quo uerbum operor non reperitur.*

Ad illum locum, V*t igitur, & deinceps in multis peccare* Logicum.

Loc*us iſte contra* Chr*yſippum, ut ſentio, totus diſputatur: tu etiam contra* Po*ſidonium uis: in quo te interrogo, cur dixerit* Cicero*, ſe cum bona gratia* Po*ſidonium dimittere, & ad laqueos* Chr*yſippi ſe reuerti, ſi in utrunque locus confertur? tua enim ſententia neutrum dimittit, nec ad laqueos* Chr*yſippi potius quàm* Po*ſidonij, te auctore reuertitur.* Q*uàm lethea eſſet iſta* Ciceronis *obliuio, quàm ridicula, ſi in eum diſſereret, quem proximo uerſiculo iam dimiſiſſet?* Q*uid te fefellerit, animaduerti, in ſecunda editione.* Neceßitatem *enim naturæ acutus interpres ad* Chr*yſippũ pertinere, aſtrorum, ad* Po*ſidonium credidiſti: errorẽ errore cumulaſti.* Nam *nec* Po*ſidonius in ſolis aſtris fatũ ponebat, ſed in tota naturæ contagione, ut ſupra docui: &* Chr*yſippus*

pus in eadem naturæ contagione, qua etiam aſtra cõtinentur: quod non intellexiſti. Id *ſatis oſtendit illa* Ciceronis *ſolutio, qua* Chryſippo *reſpondet* . *Vt igitur ad quaſdam res natura loci pertinet, ad quaſdam autem nihil: ſic affectio aſtrorum ualeat, ſi uis, ad quaſdam res: ad omnes certè non ualebit.* Chryſippum *enim alloquitur, ut uel puero notum eſt: ut me tui pudeat & pigeat, qui* Poſidonium *intelligis.* Chryſippum *autem in aſtrorum conſtitutione & affectione fatum poſuiſſe audi ex* Cicerone: Si quis, *uerbi cauſa, oriente canicula natus eſt, is in mari non morietur.* Vigila Chryſippe. &c. *Nihil iſtud argumentum* Chryſippum *attingeret, niſi etiam in aſtris fatũ poneret.* Alio loco: Hoc loco Chryſippus *æſtuans, falli ſperat* Chaldæos. Videſne eũ *in aſtrorum affectione fatum poſuiſſe?* Id *te etiam partitio argumentorum* Chryſippi, *quam in* Commentario *tuo poſuiſti, docebat, niſi ſoleres pſittaci more uerba nõ intellecta fundere.* Ex *diuinatione enim fatum conſtituebat* Chryſippus, *ut ſcripſiſti:* Chryſippus *autem &* Stoici *in diuinationis generibus, mathematicorum prædictiones ex aſtris petitas, in primis numerabãt, ut auctor eſt* Cicero. Aude *poſthac ſic errores tuos pertinaciter defendere, ne leui defungaris infamia, & ut hominibus notior ſit inſcitia tua.* Niſi e*nim hic pertinax fuiſſes, tot errores tuos non patefeciſſem.* Cum *autem reprehẽdis ut ne, prò ne ut, ſatis oſtendis lædẽdi uoluntatem, cum operarum errores, meos eſſe uis.* Eiuſmodi *multa tibi obiicere poſſem, ſi uellem, in iis quod* Archeſilam *pro* Arceſila *ſcribis:* Prytaneũ *pro* Pitaneo. *ſed animi eſſet ieiuni ac nimiũ anguſti iſta tibi obiicere.* Ac *in tua cau-*

ſa fortaſſe præuaricatoris uideretur, qui uim accuſationis criminum leuitate imminuere uellet. Quod autem paulò pòſt ais Chryſippum *uerbo ſaltem liberum arbitrium retinuiſſe, erras: reuera enim retinebat, nõ uerbo: ſed tum fatũ ex neceſſariis cauſis nõ cõnectebat. Quòd ſi diſtinguere iſta potuiſſes, &* Ciceronem *illuſtraſſes, & non tam flagitiosè peccaſſes.* Itaque *conſulo tertiam editionem adornes, atque reliqua emendes, quæ tuam dedecorant auctoritatem.* Paulò *quoque poſt, nobis pro diligenti interprete, fœdus es* Ciceronis *deprauator: qui quidem legis,* Etenim *ſi eſt diuinatio quælibet noſtra: pro, etenim ſi eſt diuinatio, quibuſnam à perceptis. &c.* Sed *omnes tuos errores emendare, profectò* Herculis *labos eſſet.* In Diodoro *manus dediſti. ſaltem ſi cãdidi animi eſſes, gratiam mihi haberes, qui ex errore te in uiam reduxi.* Iam *tibi non eſt philoſophus* Peripateticus *æqualis* Chryſippi, *qui contra* Chryſippum *de fato diſputarit: ſed totum errorem tamen tuũ non exhauſiſti: mox enim ſcribis,* Diodorus *arripiebat à* Stoico *diuinationem.* A *quo tãdem* Stoico, *obſecro te? à* Chryſippó *ne, ut prior editio præ ſe fert?* Relaberis *eodem, & tibi* Chryſippo *iunior erit* Diodorus, *quem tamen conſtat* Zenonis *ætate uixiſſe.* Zenonẽ *dices? quò diuerſus abis?* Hîc *non in* Zenonem, *ſed in* Chryſippũ, *de eo quod fieri poteſt,* Cicero *diſſerit.* Ergo *huius loci ſententiam nullo modo percepiſti: quam tibi, ut plus mihi debeas, patefaciã: &, ſi potero, iſtud oculorum tuorũ glaucoma curabo. quanquam id conſequi fortaſſe non potero: nam* Dei *tibi alicuius eſſet opus medicina, qui omnem, ut ait poëta,*

—quæ nunc obducta tuenti

Mortales

Mortales hebetat uiſus tibi, & humida circum
Caligat, *nubem eriperet.* Hîc Dialectice noſter, non *argumentatur* Diodorus, *ut tu putas ,ſed* Chryſippum Cicero *refutat , quem confirmato ex diuinatione ſato , ait in* Diodori *ſententiam,de eo quod fieri poteſt, neceſſariò delabi:ut ſi quid uerum ſit in futuro , non poßit non euenire: quam tamen* Diodori *ſententiam* Chryſippus *libris editis acerrimè oppugnarat.*Ita *Chryſippum ad incommodũ perducit diſcrepantium & diſſentanearum opinionum . quod reprehenſionis genus tibi homini* Dialectico *, & omniũ reprehenſori,notum imprimis eſſe debuit. Quæ igitur nugaris de* Diodoro,*ab huius loci ſenſu aliena ſunt.* Nec Diodori *ſententia ita impia & falſa eſt , ut tu uociferaris .* Deum *immortalẽ,quod hoc* Augiæ *ſtabulum eſt?Obſecro te, tandem aliquando errandi finem face , niſi me reprehendendi tui labore fatigatum enecare decreuiſti.* Nòn *eſt ,inquam,* Diodori *ſententia tam falſa,ut tu imprudenter pronuntias.* Nã *nulla in rebus à* Diodoro *neceßitas ponitur , ſed ſi quid in futuro uerum dicatur, id euenturum* Diodorus *decernit: niſi enim euenerit , uerum non erat:quod enim uerum eſt, id in falſum cõmutari poſſe negat.*Vide *autẽ, ne non omnino eadem ſit ueterum de diuinatione quæſtio,quæ* Chriſtianorum *de* Dei *præſcientia : præſertim cùm præſenſionẽ futuri,pij omnes in noſtra religione* Deo *attribuerint:diuinationis autem genera ſortilegorum , augurum , aruſpicum, mathematicorum, quæ nonnulli hodie magno pietatis exitio,ſuſcepta nefaria fraude renouãt,ueteres probarint,* Ecclesia *damnarit.*

Vtrum præceptum, an perceptum, Cicero θεώρημα uerterit.

Si præcepti uerbum, ut tu uis, in hanc ſententiam à Cicerone nouatum eſt, cur mox ab experimento præceptum diſtinguis, quod generale & uniuerſum eſſe dicis? Nam hęc *ſignificatio præcepti, millies in oratoriis libris, & aliis à Cicerone uſurpatur, ne putes hîc nouari: neq; in re nota teſtimoniis utar.* Quã *hanc eſſe dicã* Dialecticã *tuam, quæ tam paucis uerbis tam diſſentanea loquitur?* Inducis *enim nouã præcepti ſententiam: mox proximo uerſiculo tui oblitus, ad uſitatam & tritam ſignificationem redis.* Vbi *eſt acumen tuum? ad nugandum, iuuentutémque fallẽdã uideris* Dialecticam *didiciſſe, ſi modo ullam didiciſti, nõ ad uerum inueniendum. Eſſe autem* θεώρημα, *perceptum potius quàm præceptum, ſic intelliges.* Non, *ut opinor, tam rudis es & ignarus literarum* Græcarum, *quin ſcias hoc uocabulum à* θεωρεῖν *deduci, eiuſdémque originis & coniugationis eſſe* θεωρητικὸν, & θεωρίαν, *quibus in omnibus ineſt uis ſpectandi, contemplandi, cognoſcendi, percipiendi, non, ut mihi uidetur, præcipiẽdi.* Etiam *apud* Ariſtotelem, *odium quondã tuum, nunc delicias, quæſtio* θεώρημα *eſſe dicitur, ut in* Topicis: πρόβλημα δ' ἐστὶ διαλεκτικὸν, θεώρημα τὸ συντεῖνον ἢ πρὸς αἵρεσιν καὶ φυγὴν, ἢ πρὸς ἀλήθειαν καὶ γνῶσιν. Eiuſdem *ſunt generis apud* Græcos, σκέψις, σκέμμα, διάσκεψις: *in quibus omnibus nullum præcipiendi ueſtigium apparet.* Quinetiam θεωρὸς à Cicerone *auſcultator uertitur, traductione à ſenſu ad ſenſum, qui proprie ſpectator dici debuit.* Quod *enim dixit*

xit Ariſtoteles, ἀνάγκη δὲ τὸν ἀκροατὴν, ἢ θεωρὸν εἶναι, ἢ κριτὴν, *ſic reddidit: Nam aut auſcultator eſt modò qui audit, aut diſceptator. Idẽ* θεωρητικὰ ζητήματα, *quæſtiones cognitionis appellauit: ſed & θεωρικὸν uel* θεαζικὸν ἀργύριον *à ſpectaculis dicitur, quod Latinè, ut Soſipater ait, extar uocatur. Itaque patres noſtri* θεώρημα *ferè ſpeculationem interpretabantur: & cum Ariſtoteles ſcribit,* ὁ μὲν μουσικὸς τῇ ἀκοῇ περὶ τὰ μέλη, ὁ δὲ φιλομαθὴς τῇ διανοίᾳ περὶ τὰ θεωρήματα, *animũ ſtudioſorum occupatum in contemplatione intellexit: ut & eodem modo alio loco, cum ſcribit,* καὶ θεωρημάτων δὲ εὐπορεῖ τῇ διανοίᾳ, *mentem rerum cognitione abundare ſignificauit: quod etiam Artemidorus oſtẽdit, qui ſomnia quædem* θεωρηματικὰ *dicit, quæ ipſa ſpecie, ipſóque uiſo ſignificationem ſui præ ſe ferunt ſine ulla ambage. Itaque ſi quãdo* θεώρημα *præceptum dicatur, id fit inflexione & immutatione ſignificationis, quam hîc ſecutum Ciceronem non putem: quem adſtipulante ueterum librorum auctoritate, cenſeam uim uocabuli Græci exprimere uoluiſſe: præſertim cum præceptum* παράγγελμα *potius declaret, aut* παραίνεσιν. *Proinde Seneca eam philoſophiæ partem, quam Græci* παραινετικὴν *appellãt, præceptiuam interpretatur. Nec uerò percepta experimenta tantùm ſunt, ut tu falsò cenſes: uerumetiam percepta ſunt, quæ doctrina & inſtitutione didicimus. Si enim uera tua ſententia eſſet, male Cicero ſcripſiſſet, philoſophiã oratori neceſſario percipiendam eſſe: & alio loco, oratores quãuis artis præcepta perceperint, nihil quicquã ſine uſu et exercitatione conſequi poſſe. Nã hæ perceptiones ab experimentis longiſſimè diſiunctæ remotæque ſunt. Neminem, ita*

me Deus amet, unquam cognoui, qui plus in Dialectica ſibi ſumeret, poius diſputaret, qui falſa facilius inueniret, in ueris magis caligaret, qui in auctorum interpretatione libentius errorem amplecteretur, uiam ferè ſequeretur nunquam. Nam, *ut omittam uim uocabuli, ſi* Ciceronem *ipſum cæcus penè manu ducentem ſecutus eſſes, perceptum ab eo ſcriptum animaduertere potuiſſes.* Paulò *pòſt enim uocabulo alio, ſed idem declarãte, utitur:* Medicus, *inquit, imprimis quod erit ei perſpectũ in arte: quod eſt, niſi fallor,* ὅπερ αὐτῷ τεθεωρημένον ἔσται κατὰ τὴν τέχνην. *Sed & in priore editione ſic locũ illũ legeras,* Neque *eos uſuros eſſe cõiunctionibus, ut ita ſua percepta pronuntient: quem cum intelligeres tibi perſpicuè aduerſari, in* Ciceronem *male conſulere poſteriori editione, quàm in exiſtimationem tuam maluiſti. nec iniuria: eum enim toto* Commentario *tuo ſic contemnis, ut in ipſius contumeliam & dedecus potiſsimum ſcripſiſſe uideare: atque hoc loco eius deprauatione ignominiam & culpam tuã redimere conaris, ac te tutũ fore ſperas, ſi tanquã pecuniam ſic* Ciceronis *ſcripturam adulteraris, quod ſecus eſt.* Ex *eo enim magis in ſuſpicionem uenit ignorãtia tua, quòd tecta eſſe non poſsit, niſi maxima auctorum iniuria.*

Falsò *attribui argumentum* Diodoro, *quod* Ciceronis *eſt: nec ueram eſſe* Chryſippi *ſententiam.*

Scribis *ad illum* Ciceronis *locũ,* Si *enim uerum eſt, quod ita connectatur, &c.* Diodori *laqueos eſſe aduerſus* Chryſippũ *ualde cõtortos.* Omitto *quod hìc ignoras, quid ſit con-*

tortè

certè dicere. Id *enim eſt in repugnantia per negationem argumẽtari:ut,* Non *ſunt dij, nec ſignificant futura.* & *apud* Alexãdrum, οὐ γάρ ἐστι μὲν τοιαύτη ἡ εἱμαρμένη, οὐκ ἔστι δὲ πεπρωμένη· οὐδ' ἐστὶ μὲν πεπρωμένη, οὐκ ἔστι δὲ αἶσα· οὐδ' ἐστὶ μὲν αἶσα, οὐκ ἔστι δὲ νέμεσις· οὐδ' ἐστὶ μὲν νέμεσις, οὐκ ἔστι δὲ νόμος· οὐδ' ἐστὶ μὲν νόμος, οὐκ ἔστι δὲ λόγος ὀρθὸς, προστακτικὸς μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸς δὲ ὧν οὐ ποιητέον. Id *eſt,* Non *enim eſt tale fatũ,* & *nõ eſt fati præſcriptio: nec eſt fati præſcriptio,* & *nõ eſt parca:nec eſt parca,* & *non eſt nemeſis:nec eſt nemeſis,* & *non eſt lex: nec eſt lex,* & *non eſt recta ratio,quæ præſcribit quæ faciẽda ſunt,* & *prohibet quæ non facienda .* Hac *autẽ in argumẽtatione tota nihil tale eſt.* Sed *id,ut dixi,omitto : illud uerò præterire nullo modo poſſum, quod cenſes* Diodorum *aduerſus* Chryſippum *argumentari.* Tolerabilius *in priore editione peccaueras:*Nam *etſi in hiſtoria erraras,qui* Diodorũ *ignoraras,tamẽ cum eum æqualem* Chryſippi *feciſſes, nihil diſſentaneum* & à Dialectico *alienũ in reliquis ſcribebas:poterat enim æqualis in* Chryſippum *diſputare : nunc uerò cum ex hiſtoria,quam tibi indicaui,cognoueris ante* Chryſippum *natum , è uita diſceßiſſe* Diodorũ,*miror hos à te locos non eſſe mutatos, qui mirabiliter cum temporis ratione pugnant,* & *ſuperiori tua interpretatione.*Non Diodorus, Dialectice *noſter,hìc argumentatur, ſed* Cicero,*qui* Chryſippum *ad* Diodori *ſententiam inuitum perducit:nec ineſt in argumentatione quicquam uitij, ut tu cẽſes.* Dij *ueſtram fidem,quæ hæc eſt* Dialectica? *nõ profecto illa,quæ ueri falſique diſceptatrix eſt,ſed quæ falſi approbatrix : quæ non dux uiæ,ſed erroris magiſtra ſit.* Quod *intelligẽt omnes qui*

huius loci ſententiam perceperint. Duo erant Chryſippi decreta: unum, neceſsitate fatali euenire omnia: alterū, quod fieri poteſt, aliquādo poſſe non euenire. Hæc Cicero pugnare contendit, ac neceſſe Chryſippo eſſe, poſito fato, id quod fieri poteſt, neceſſariū dicere, ac inuitum tādem in ſententiā Diodori, quam tam uehementer oppugnarit, deuenire. Hoc ita poſito, quid habes quod in argumentatione tota Ciceronis reprehendas? Conſtituto enim fato, omnes eius neceſſariò partes tibi & Chryſippo ſuſcipiendæ & approbandæ ſunt. Si enim ex ui fati rectè cōnectitur, Si quis oriente canicula natus eſt, in mari non morietur: reliqua quæ ſequūtur, pari neceſsitate concludentur. Itaque non ut tu clamas, captioſè concluditur, ſed rectè & dialecticè ex Chryſippi fato, quo remoto, ne prima quidem argumentationis pars procederet. Sed boni interpretis officium eſt uidere quid agatur, cum quo diſſeratur, quid ei, quo cum diſputatur, cōſentaneum ſit dicere. Hæc qui acutè & callidè uiderit, næ tuæ Dialecticæ ſæpe hebetem & obtuſam aciem oſtenderit. Hîc tamen audes, ô uecors, audes ſimplicem dicere Ciceronem, qui laqueis irretitus ſit Diodori, Chryſippi uerißimā ſententiam improbarit. Elephantis corio, ut Comicus ait, tectus es, non tuo. Quæ hæc eſt tarditas tua, quis ſtupor mētis, quæ cæcitas animi? Enimuero planè cæcus es, non nuſcitioſus. Nihil unquam à te ſcriptum eſſe reor, in quo minus Logicus eſſe, minus Dialecticus haberi uelles. Eſt enim Chryſippo neceſſe alterutrum è manibus amittere, uel fatū, uel id quod fieri poteſt. Si enim fatum retinet, id quod fieri poteſt relinquat neceſſe eſt, & in iis, quæ in futuro uera enuntiabuntur,

enuntiabuntur, non ſolum Diodoream *neceßitatem, quæ enunciationum eſt, ut docui, uerum etiam fatalem, quæ rerum & cauſarum eſt, ſtatuat.* Itaque *non ita multò pòſt iniquè* Ciceronem *reprehēdis, cum ſcribis,* Si *quod erit prædictum diuinum, licet uerum, non oportere eſſe neceſſarium.* Oblitus *es enim* Ciceroni *negotium eſſe cum eo homine, qui fatum ponat, & prædicta uatum neceſſaria confiteri cogatur, ſi uera ſunt propter cauſas fatales.* Quòd *ſi ex* Ariſtotele, *quem ſemper contēpſiſti, cognouiſſes genus eſſe quoddam diſputandi, in quo ex aduerſariorum ſententia argumentamur, quod ille prudentißimus intelligendi & diſſerendi magiſter & auctor,* πειραστικὸν *uocat: ſi apud* Platonem *totos hoc diſſerendi genere dialogos texi animaduertiſſes: poſtremò ſi* Dialecticam *didiciſſes, cuius poſſeßionem eſſe tuam prædicas: homines profecto, quod in te deriderēt, hìc minus haberent: nec te præpoſterum quēdam* Dialecticum *illudere poſſent, cui prior & antiquior falſi inueniendi, quàm ueri quærendi cura ſit.*

Defenſio Ciceronis contra reprehenſionem Dialectici.

M. T*ullius ita ſcribit:* Sed *tamen ſi naturalis eſt cauſa, cur in mari* Fabius *non moriatur, in mari* Fabius *mori non poteſt.* Sequitur *ad eum locum non interpretatio tua, ſed cēſura.* Hic *locus, inquis,* Logicā Ciceronis *imprimis oſtēdit, qui cū antea tam uerè, támque magnificè cōcluſerit in* Stilpone & Socrate *naturales cauſas uoluntariis domari &*

comprimi poſſe, nunc tamen tam repugnãtia præcipiat. Na*turalis cauſa eſt, ait* : Ergo *neceſſaria.* Ad *ſtiuam amandari debes deſperata cognitione literarum & ſcientiæ: unà enim cũ ætate in te accreſcit ignorantia, non alia, ut reor, de cauſa, quàm ex ſcientiæ perſuaſione, ut tituli indicant tui, faſtis an faſtu iſto digni? magnifici quidẽ certè, ſed cum maxima rerum inanitate coniuncti.* Apparet *qualis in* Ariſtotele *reprehendendo fueris, cuius multo ſubtiliores & obſcuriores ſunt diſputationes. quod utinam ex his unguibus homines leonem æſtiment, & intelligant tandẽ aliquando in omnibus tuis reprehenſionibus qualis ſis.* Da *te, ſi me audis, medico curandum: nimis es obliuioſus* . Non *enim meminiſti* Ciceroni *hoc loco rem eſſe cum eo homine, qui fatum ex neceſſariis cauſis nectat* . Itaque *ex eius ſententia & principiis argumẽtatur, eáque ſumit, quæ* Chryſippo, *ſi ſibi cõſtare uelit, ſuſcipienda & approbãda neceſſario ſunt: nec poſitis fatalibus cauſis & neceſſariis (hîc enim ita diſſeritur, ut fatũ neceſſarium ſit : tandem tamen uero uictus* Chryſippus, *ut uoluntatem retineat, fato neceſſitatem detrahet.) uoluntariæ & fortuitæ retineri poſſunt.* Ante *igitur* Chryſippo *reſpondebat fatum non eſſe, & ad naturam, fortunam, uolũtatem, multa referebat : naturales quoque cauſas ſtudio, diſciplina, doctrina edomari, & in totũ tolli poſſe dicebat.* Nunc *autem ex ſerie illa cauſarum naturalium, à* Chryſippo *ad conſtituendum fatum poſitarum, in* Chryſippum *ipſum argumentatur, non quòd eam eſſe putet, ſed quòd* Chryſippus *eam defendat.* Habes *, eloquens & philoſophe noſter, huius loci interpretationem, quæ logicam* Ciceronis

tuam oſtendit:illius optimam, tuam nullam . Non *dubito, quin hoc graue tuis auribus accidat,ut nihil* Neroni *magis doluit, quàm quòd dictus eſſet malus citharœdus, quia citharœdus eſſe & haberi uolebat,ut tu* Logicus : *tamen* Ciceronis *amore prouectus,tenere me non potui, quin hoc dicerem. Quòd ſi te hîc fortè tractare non uideor ut eloquentem & philoſophum,ignoſcere mihi debes:nam ne tu quidē* Ciceronem *&* Ariſtotelem,*ut diſertos & philoſophos.* Scitum *eſt,Ab alio expectes,alteri quod feceris.*

Ignoraſſe Logicum, *qui ſint apud* Ciceronem *in libro de* Fato Chaldæi.

Sic *de* Chaldæis *ſcribis,* Chaldæos *mathematicarum artium inuentores eſſe, hiſtoria ſacra teſtatur, ut cōſtat ex* Ioſepho,*qui ſcribit ab* Adamo, *Setho , ueteribúſque patriarchis inuentas , & à* Noeo *duabus ingentibus columnis , ne diluuio perirent,impreſſas & cōſignatas,tādem per* Abrahamum *traditas* Aegyptiis. Hoc *idem uidetur* Cicero *confirmare,cum primo* De diuinatione,Chaldæos *recenſet primos inuentores* Aſtrologiæ. Multa *profecto legiſti : ſed hîc* Ciceronem, *quod inter nos dicere liceat , non intellexiſti.* Quaſi *uerò de populo* Chaldæo *inuentore, nō tantū* Aſtrologiæ,*ut putas,ſed etiā diuinationis* Aſtrologicæ,*de qua taces,hîc agatur, non de* Aſtrologis *omnibus futura prædicētibus: qui ex quocunque populo eſſent,* Chaldæi *iam dicebantur.*Id *te* Ciceronis *locus,quem profers,docebat,ſi attēdiſſes:ſic enim ſcribitur,*Qua *in natione* Chaldæi,*nō ex ar-*

tis, ſed ex gentis uocabulo nominati. Videſne Chaldæorum nomẽ diſtingui à Cicerone, quòd interdum ſit populi, interdum artificij? quod fecit neceſſariò, quia eius ætate Chaldæus cum audiebatur, mathematicus ſemper intelligebatur. Itaque non niſi pro mathematico ferè uſurpare ſolet, ut Tuſculana prima, Vt ſi ante mors aduentet quàm Chaldæorum promiſſa cõſecuti ſumus, id eſt Genethliacorũ: libro ſecũdo De diuinatione, Ad Chaldæorũ mõſtra ueniamus, id eſt aſtrologorum: iterum, Chaldæis in prædictione & in notatione cuiuſq; uitæ ex natali die, minime eſſe credẽdũ, id eſt mathematicis, qui ex aſtris futura prædicunt. Etiam Valerius, M. Popilio Lenate, Lucio Calphurnio Coſs, edicto Chaldæos intra decimũ diẽ abire ex urbe atq; Italia iuſsit, leuibus atque ineptis ingeniis, fallaci ſyderum interpretatione, quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem iniicientes. Niſi forte quis ita deſipit, ut putet ſolum Chaldæum populum in prædictionibus natalitiis damnari, aliorũ Genethliacorũ diuinationem probari, ut à Ptolomæo Chaldaica ratio in finibus planetarum improbatur. Cicero rurſus, Si Chaldæum, ſi Aruſpicem uideris. aut ubi tandẽ Chaldæi ex arte appellabuntur, ſi non his locis appellantur? Itaque χαλδαΐζειν ab Euſebio dicũtur, qui ſtudioſi ſunt illius diuinationis. Proinde ſcribere debuiſti illius ex ſyderibus prædictionis inuẽtores Chaldæos fuiſſe, quorum artem ita celebratam & peruulgatam poſtea fuiſſe, ut quicunque eam tenerent, Chaldæi dicerẽtur: atque ſic à Cicerone hîc Chaldæum accipi. Quid autem ſit infinita coniunctio, ex Stoicorum diſciplina, potius quàm ex Ariſtotele petendum eſt,

cum

cùm eorum Dialectica Cicero uti ſoleret. quam rem ſic explicat Laërtius: ἀόριστον δὲ ἀξίωμά ἐστι τὸ συνεστὸς ἐξ ἀορίστου μορίου, ἢ ἀορίστων μορίων· οἷον, τὶς περιπατεῖ, ἐκεῖνος κινεῖται. Id eſt, Infinita autem enunciatio eſt, quæ conſtat ex infinita particula, aut infinitis particulis: ut, aliquis ambulat, ille mouetur.

Rurſus in Diodoro labi Dialecticum, & ab eo in loco Epiſtolarum familiarium bis errari.

Quoties, obſecro, tibi dicendum eſt, nullam induci à Diodoro rerum neceſsitatem fatalem? Nam etſi quod fieri poteſt, neceſſariò eſſe aut futurum eſſe dicit: rerum tamen & fati nulla neceſsitas ab eo cõſtituitur, ſi rectè eius ſententia intelligatur: quã tibi ſic Alexãder Aphrodiſienſis declarabit: δυνατὸν λέγειν καὶ περὶ τῶν δυνατῶν, τοῦτο δέ, ὃ Διοδώρῳ λέγεται, ἤτοι ὃ ἔστιν, ἢ ἔσται. τὸ γὰρ τι ὄν, ἢ ἐσόμενον πάντως, δυνατὸν μόνον ἐκεῖνος ἐτίθετο. τὸ γὰρ ἐμὲ ἐν Κορίνθῳ γενέσθαι, δυνατὸν κατ' αὐτόν, εἰ ἦν ἐν Κορίνθῳ, ἢ πάντως μέλλοιμι ἔσεσθαι· εἰ δὲ μὴ γενοίμην, οὐδὲ δυνατὸν ἦν. καὶ τὸ παιδίον γενέσθαι γραμματικόν, εἰ ἔστιν. οὗ εἰς κατασκευὴν καὶ ὁ κυριεύων ἠρώτηται λόγος ἀπὸ Διοδώρου. ὁμοίως καὶ περὶ τοῦ κατὰ Φίλωνα· ἦν δὲ τοῦτο τὸ κατὰ ψιλὴν λεγόμενον ἐπιτηδειότητα τοῦ ὑποκειμένου, κἂν ὑπό τινων ἔξωθεν ἀναγκαῖον ᾖ γενέσθαι κεκωλυμένον. οὕτως τὸ ἄχυρον τὸ ἐν τῇ ἀτόμῳ, ἢ τὸ ἐν τῷ βυθῷ δυνατὸν ἔλεγε καυθῆναι ὂν ἐκεῖ, καίτοι κωλυόμενον ἀπὸ τῶν περιεχόντων αὐτὸ ἐξ ἀνάγκης. ὧν ἐστι μεταξὺ τὸ ὑπ' Ἀριστοτέλους λεγόμενον. δυνατὸν γὰρ τὸ οἷόν τε γενέσθαι ἀκώλυτον ὄν, κἂν μὴ γένηται. τὸ γὰρ ἄχυρον τὸ μὲν μὴ ὂν ἐν τῇ ἀτόμῳ, μηδὲ ὅλως ὑπό τινος κωλυόμενον, δυνατὸν καυθῆναι, κἂν μηδέποτε καυθῇ, ὅτι μὴ κεκώλυται. Id eſt, Poteſt dicere de eo quod fieri poteſt, & de eo

quod à Diodoro *dicitur, ſcilicet quod eſt, aut erit.* Quod *enim eſt, aut prorſus futurum eſt, ſolum ille fieri poſſe ſtatuebat.* Nam me Corinthi *eſſe exiſtimabat fieri poſſe, ſi uel* Corinthi *eſſem, uel omnino futurus eſſem: ſin minus, ne fieri quidem poſſe. ac puerum grammaticum euadere poſſe, ſi grammaticus futurus eſſet.* Cuius *ad confirmationẽ etiã dominatrix ratio, quæ* κυριεύων λόγος *dicitur, à* Diodoro *interrogabatur.* Itidem *& de eo quod* Philonis *ſententia dicitur.* Erat *autẽ id, quod nuda ſubiecti habilitate dicitur, etiã ſi ab aliis extrinſecus prohibeatur neceſſariò, ne eueniat.* Sic *paleam in indiuiduo aut gurgite poſſe dicebat uri, illic cum eſſet, quãquam externis neceſſariò impedimentis prohibitam: quorũ medium eſt, quod ab* Ariſtotele *dicitur. fieri enim poſſe dicit, quod impedimẽto ſublato euenire queat, etiamſi nõ eueniat. nam paleam, quæ in indiuiduo non ſit, neque ulla re impediatur, uri poſſe, etſi nunquam uretur.* Ex *his ſatis notum eſſe arbitror, ſignificationem quandam eius quod fieri poteſt, à* Diodoro *inductã eſſe, ut à* Philone, *ut ab* Ariſtotele: *nec ab eo caſum, fortunã, id quod in utrãque partem nullam propenſionem habeat, & æqualiter euenire aut non euenire queat, excludi.* De *uocabulo enim propemodũ & de enũciationibus luctatur ac pugnat: idq; tãtum, quod eueniat aut euenturum ſit, fieri poſſe dicendũ eſſe contendit: in aliis hoc nomẽ ponendum non eſſe, nec uerum in falſum conuerti poſſe. iſte autem putat, mutata uerborum ſententia, unà ſummam rerum & naturæ conuerti.* Eam *autem eſſe* Diodori *ſententiam audi ex* Cicerone, Nec *ij qui dicunt immutabilia eſſe quæ futura ſint, nec poſſe ue-*

rum

rur futurum conuerti in falſum, fati neceſsitatem confirmar t, ſed uerborum uim interpretantur. Ecquid *igitur intelligis à* Diodoro *cauſas fortuitas, animi libertatẽ, poteſtatem, ius retineri? non enim tibi neceſſe cenſet eſſe* Corinthi: *uerum ſi fieri poſſe ponatur, & ſi uerè dicatur, contendit oportere te eſſe uel fore* Corinthi: *neque nomen eius quod fieri poteſt, eis quæ non euenient, tribuendum exiſtimat.* Itaque *in eius opinione nullum neceſsitatis fatalis ueſtigiũ apparet: quod ſi eſſet, nec eius opinione contra fati aſſertores hîc* Cicero *niteretur, neque* Alexander *in oppugnando fato eam ſine infirmatione prætermiſiſſet: quæ, ut tu uis, re eadẽ eſſet, uerbo diſcreparet.* Nunc *in proſcenium tragœdus prodito, et nefariæ impietatis eos ſe alligare odiosè clamato, qui* Diodori *ſententiam defendant. hîc tu audes, ſycophãta, impietatis mentionem facere? non tu hoc nomen perhorreſcis? qui in hoc religionis domicilio, in hac pietatis ſchola,* Academiam *nouam, tot antè intermortuam & ſepultam ſeculis, quæ nullam religionem, nullum* Deum *nouit, ſublato* Ariſtotele, *renouare tentaſti: & hîc impietatẽ mihi obiicere audes, quòd* Diodori *ſententiam defendam?* Quaſi *uerò aut ea impia ſit, aut à me defendatur.* Ego *nunquam* Academiam *nouam probaui: ego nunquam diſciplinam huius ſcholæ, quod dignitatẽ meam non tenuiſſem, mihi cõuellendam putaui: ego nunquam ſenem captaui, nec patrem appellaui, nec eũ ſexagenariũ de ponte, id eſt de collegio deieci: ego nunquam in eos, qui meo non ſuffragarentur honori, crimina confinxi, nec cõfingenda curaui.* Hæc *qui faciunt, licet non loquantur impiè, quia tamen faciunt, ſceleratos*

ſemper duxi: nec expecto dum uocem ſceleratam mittant, quam pectore conceptam ſupplicij metu continent, quũ impia & ſcelerata facta uideã. plus enim apud me ualet uerum teſtimonium uitæ, quàm ſimulata oratio linguæ. Non *igitur in me, ſed in te crimen iſtud hæret: nec hìc agitur, philoſophe noſter, nunc quid ego probem aut improbem, ſed an fatalis ulla ſit in* Diodori *ſententia neceſsitas, ut falsò credidiſti, refragante & repugnante* Cicerone. Profers *autẽ ad illuſtrandam* Chryſippi *cum* Diodoro *contentionem, auctoritatem ex epiſtolis* Ciceronis, *à me tibi indicatam: non enim eius priore tibi editione uenerat in mentem: ſed tamen ne à me uel ſumpta uel indicata uideretur, callidus fuiſti, et furum exemplo, aliò transtuliſti, cum à me initio libri poſita eſſet: proinde quaſi furto concepto nulla legibus pœna conſtituta eſſet, ſed tãtùm manifeſto. ita fur audire quàm gratus haberi maluiſti: & te philoſophum hominẽ, peccatũ magis, quàm officium delectat.* Hac *tamen in re non omittã inſignes duos errores tuos: ſcio enim quàm latè ſophiſtarum errores manare ſoleant, & quàm facilè adoleſcentum animis irrepant & inhæreſcãt.* Ita *ſcribis,* Hæc *igitur erat* Diodori *ſententia, quam tamen non concoquebat, ut ait in illa epiſtola* Cicero, *id eſt non ſatis perſuadebat & probabat.* Scitum *interpretem: quanti eſt* Dialecticam *didiciſſe?* Vir *iſte oculeus eſt totus, ut* Argus. Diodorus, *inquit, ſuam ſententiam non perſuadebat: atqui perſuaſerat* Ciceroni, *alioqui in illa epiſtola nõ ſcriberet ſe de eo quod fieri poteſt,* κατὰ διόδωρον, *indicare: ſecum enim pugnaret. ut acutè* Dialecticus *iſte, quid conſequens, quid repugnãs ſit, uidet.* Deinde

de cum ſcribit Cicero, *quam* Diodorus *non concoquebat, perſpicuum eſt alium* Diodorum *à ſuperiore ſignificari,* Ciceronis *familiarẽ, qui perdiu in eius domo uixerit. Eius cũ aliis locis meminit, tum initio libri primi* De natura deorũ, Et *principes illi* Diodorus, Philo, Antiochus, Poſidonius, *à quibus inſtituti ſumus. ſed & in* Bruto, Eram *cum* Stoico Diodoro, *qui cum habitaſſet apud me, mecúmque uixiſſet, nuper eſt domi meæ mortuus. Quãquam autẽ & hìc & in illa epiſtola,* Petrus Victorius, Diodotus *legere mauult, & legendum cenſeo, tamen ſi cui* Diodorus *probatur, alius ſit neceſſe eſt.* V*eram igitur illius loci explicationem accipiat diſertus ab indiſerto, philoſophus ab indocto.* Diodorus Ciceronis *familiaris & præceptor, illa tempeſtate princeps* Stoicæ *ſectæ,* Diodori *illius ueteris ſententiam de eo quod fieri poteſt, nullo modo complecti, nullo modo approbare poterat, prorsúſque ab ea abhorrebat: ut tranſlatio ſit à uentriculo cibos complectente & concoquẽte. nam concoquere pro perſuadere accipere, extremæ fuerit ſtultitiæ.*

Male *à* Logico *in declinatione atomi* Epicurum *defendi,* Ciceronem *oppugnari: eundem erraſſe in* Democriti *ſententia de atomorum motu.*

Si mihi tecum de natura, arte, & uſu diſſerendum eſſet, ualde id timidè dubitantérque facerem. Scio *enim hãc cauſam tibi meditatam millies, & declamatam eſſe.* Noui *tuos receptus, tua perfugia, tuas latebras.* In *natura teneris, ad artem elaberis: in ea quoque teneris, præſto eſt triarius ille tuus aureus uſus, quo in* Senatu *olim cauſam defendiſti tuã*

iam fractam & profligatam, cum ſic clamares ridentibus omnibus, Domine Præſes, *uſum quæro, uſum quæro: ut ex eo à* Iuriſconſultis *noſtris (nullũ enim hominum genus elegantius eſt & uenuſtius)* Philoſophus *uſuarius dici cœperis. hîc extra præſidia tua deprehenſus es, nec in tam multas facies te conuertere potes.* Vt *autem olim* M. Craſſo *uitio datum eſt, quòd malas ferè cauſas defendere ſoleret, ita toto tuo* Cõmentario *animaduerti te ſemper deteriori ſententiæ fauere & patrocinari.* Ciceronem *enim oppugnas, quod* Epicurum *dixerit rem ſuſcepiſſe inenodabilem: ut ſine cauſa fiat aliquid, ex quo exiſtet, ut de nihilo quidpiam fiat.* Epicurum
p. 16. b. *enim ſic defendis,* De duabus rebus inenodabilibus prior, per calumniã duplicem imponitur Epicuro. Nec enim ſine cauſa fieri dicit Epicurus, quod fortuita cauſa dicit fieri, cũ fortuita cauſa etiam in cauſarum generibus contineatur: quod paulò pòſt ipſe Cicero oblitus ſui confirmabit: nec itẽ de nihilo fieri quicquã dicit, qui confirmat ex atomis omnia fieri. *Hîc ego uereor, ne ſi te refellam, hominibus nullus* Dialectices *uſus eſſe uideatur. Nam ſi docuero, quod neceſſe eſt, te tuo & quorundam iudicio principem* Dialecticorum *huius ætatis, ab* Epicuro Dialectices *nõ ſolum ignaro, uerũ etiam ſuperbo contemptore deceptum, quid te miſerius erit? quid* Dialectica *tua calamitoſius?* Epicurus, *inquis, fortunã eſſe declinationis cauſam ait.* Quid? Ipſis *atomis, ſi quæ ſunt, uerba dari ut tibi poſſe putas, ut ſi* Epicurus, *de rerum natura balbutiens, nomen aliquod inane fundat, cui nulla res ſubſit, protinus de regione decedant? Quæ eſt enim per* Deum *immortalem hæc fortuna, niſi inanis quidam ſonus?*

Noſtris

Noſtris quidem rebus fortunam interuenire uideo, ſed atomorum motui quì poteſt interponi? Quid enim fortuna eſt? nónne res quædam iis interueniẽs, quæ alia de cauſa fiebãt? ut ſi hominis in forum deſcendentis, ut aliquem conueniret, capiti tegula illaberetur. Nunc maximè uellem me doceres, quæ cauſa atomos ſuopte motu in præceps cadentes, recto curſu depellat, flatúſne fortè coortus, an aliquid eiuſdem generis. Si rurſus fortunam, ruſticè dices & impudenter, referam in uocabulo non eſſe tantam uim, ſed cauſam aliquam fortuito coortam interuenire oportere, quam noſtris rebus interuenire poſſe uideo, atomis non poſſe intelligo. Ita te, nõ ut Diodorum *olim* Stilpo *uir acutus & ſolers, ſed iners & hebes* Epicurus *turpiſsimè feſellit, cũ eius uerba rem eſſe credidiſti*. Deinde, *ſi illa* Epicuri *fortuna aliquid eſt, cur perpaulum declinat tantum atomus? ut plurimum declinet, efficere non poterit fortuna, cuius tantam poteſtatem ditionémque in rebus mortalium eſſe uidemus?* Attamen *id* Epicurus *nunquam dicere auſus eſt, ne comminiſci uideretur*. Lucretius, Nec *pluſquam minimum, ne fingere motus* Obliquos *uideamur, & id res uera refutet*. Atqui, Lucreti, *neceſſe eſt* Epicurus *tuus non minus in minimi interualli declinatione, quàm maximi teneatur, cum idem peccatum ſit, & utrũque pariter fictum*. Hoc, Dialectice *noſter, enoda ſi potes: ſi fortuna declinationis cauſa eſt, cur maximam declinationem, ut minimam efficere nõ poteſt? aut ſi id nimium eſt, cur non ſaltem magnam: denique cur non paruam efficit?* Nec *uerò oblitus ſui* Cicero *ſententiam* Epicuri, *ut prædicas, confirmat: nulla enim atomis, ut*

diſſerui, intereſſe fortuna poteſt, ſuo pondere deorſum labentibus, cùm rebus humanis ſexcentæ cauſæ fortuitæ interueniant. Cum autem ais, Nec item de nihilo fieri quicquam dicit, qui confirmat ex atomis omnia fieri: *id quidem* Cicero *non ignorabat,* Epicurum *ex atomis omnia facere: ſed hoc incommodum* Epicuro *diſputat eſſe ſubeundum, hanc accipiendam plagam, ut de nihilo aliquid fieri concedat.* Si enim *declinationis nulla eſt cauſa, ut docuit, declinatio de nihilo oritur: aut quæ tandem cauſa ſit eius, cedo.* Siccine *Dialecticam, eloquẽtiam, philoſophiam, quas omnes artes unus hoc tempore ſuſtines, ut ais, & poßides, caligare tuam?* Puer *mediusfidius hunc* Ciceronis *locum ſi explicaret, plus uideret.* Nullam *Epicuro calumniam adhibet* Cicero, *ſed tu* Ciceroni, *cuius ſenſum non perſpicis: & tamen more inſtitutóque tuo non intellecta reprehendis.* Si *enim, ut idem iterem, declinationis nulla eſt cauſa, declinatio è nihilo oritur.* Non *enim eius ulla eſt in inani cauſa, nõ in indiuiduis corpuſculis, quibus ſoliditatẽ, figuram & põdus tantũ* Epicurus *attribuit, quorũ nullum declinationẽ efficit.* Cæterum *cũ ita ſcribis:* Epicurus *in phyſicis quædã à* Democrito *ſumpſit, de atomis in infinita inanitate rectis lineis deorſum cadentibus: niſi me fallit animus, ualde peccas, quod uſitatum tibi.* Nam *quod* Democritus *nunquam dixit, quî ab ipſo* Epicurus *id ſumere potuit?* Id *adeò liber ipſe, quẽ interpretaris, te docebat, niſi tam obliuioſus fuiſſes, ut cum ad eum locum perueniſſes, hîc à te ſcripta non recordarere.* Sic *enim ſcribit de atomis* Cicero: Primum *cur aliã quandam uim motus habebunt à* Democrito *impulſionis,*

quam

quam plagam ille appellat: à te, Epicure, grauitatis & pōderis? Ariſtoteles quoque uiolenta impulſione, Leucippi & Democriti ſententia, indiuidua corpuſcula cieri ſcribit. Videſne igitur aliū eſſe atomorū apud Democritū motū, aliū apud Epicurum? Hîc negotium age tuum, & quid pro te dici poſſit, quære. Ego enim nihil uideo, niſi te ſolita tua ignorantia lapſum eſſe. Gaudeo autem me tibi tam familiarem eſſe, ut mea exiſtimes tua. Quæ enim de triplici atomorum motu ex Lucretio & Plutarcho ſcripſi, omnia in album tuum tranſtuliſti: Quædam tamen inſcitia tua inquinaſti, ut cùm ϛάθμην pondus interpretaris, cum ſit linea uel perpēdiculum, quo utroque modo Cicero uertit: cū plagam, non iam regionē, ut antè feceras, magna tui nominis infamia, ſed ictū, quo corpora leuiora pellerētur à grauioribus, accipis. Ictus enim fit, non cum leuiora à grauioribus pelluntur, ſed cum corpora indiuidua declinantia, uiăque commutătia, confligunt. Quòd enim duriſſima ſunt, diuerſa reſiliunt, declinatióque plagam antecedit. Itaque nec leuitas, nec grauitas, reſiliendi cauſa eſt, ſed ſoliditas & duritia, quod non intellexiſti. uideris enim exiſtimare leuia in inani tardius quàm grauia moueri: quod & falſum eſt, & Epicurei, qui Dialectica tua inſtructi non erant, tamē fieri non poſſe perſpexerant. leuia enim & grauia æquè in inani celerare cenſuerunt. Lucretius, Omnia quapropter debent per inane quietum Aequè ponderibus nō æquis concita ferri. Ita nihil tam bene dici poteſt, quin id, ſi attingas, inſcitia contamines tua. Non multò pòſt fortiter urges errores tuos, cùm pag. 17. ſcribis, inconſtanter Ciceronē, quod ſ. p. 17.

ut inenodabile in Epicuro *reprehenderat, enodare poſitis cauſis fortuitis, & eundem ſecum pugnare, qui poſitis cauſis fortuitis* Diodori *ſententiam, quam antea probauerat, omnes rerum cauſas neceſſarias efficientem, nullas fortuitas relinquentem deſerat.* Hîc *multa peccas: ſi prudens pertinacia dãnanda: ſi imprudens, ignorantia miſerãda.* Ni*hil inconſtanter à* Cicerone *factum eſt: nam fortuita cauſa atomis in inani nulla, niſi uerbo, interuenire poteſt, ut noſtris rebus infinitæ poſſunt.* Quod Cicero *uidit, tu obtuſior ipſo* Epicuro *non intellexiſti.* Loci *autem ſententiam nullo modo percepiſti: nunc non diſputo qualis ſit* Diodori *ſentẽtia.* Certè *non animaduertiſti, qualis illa cunque ſit,* Ciceronem *oſtendere* Epicureos *ea poſſe contra fatum ſine commentitia atomorum declinatione niti.* Si *enim fateantur omne enunciatum uerum eſſe aut falſum, non erit eis neceſſe, quod uerentur, fato fieri omnia dicere, ſi* Diodorum, *qui immutabile uerum & falſum dicit, fatum tamen non ponit, ſequantur: quia quod uerum futurum eſt, ſi non neceſſariis & ex æternitate manãtibus cauſis eueniat, uolũtariis tamẽ & fortuitis eueniet.* Cõtendis *à* Diodoro *fatũ conſtitui, argumento certè perinfirmo, & auctoritate tua indigno.* Nam *qui à ſententia huius loci aberraſti, ſaltem errorem tuum enixe defendere conaris. quid ais?* Nam *cum diceret, ais, omnia uera eſſe neceſſaria, uerum autẽ ſit ex uera cauſa effectrice uerũ, certè cauſas uerorũ neceſſariorum neceſſarias efficiebat.* Ad *hæc pro* Diodoro *tibi reſpondeo: uerum hîc omitte quæſo, quid mihi uideatur, quærere.* Sepone *cauſam meam: non enim agitur, quid ſentiam, ſed quid di-*

cat Diodor*us* . *Vera in futuro* Diodoro *neceſſaria ſunt, id eſt, in falſum conuerti nequeunt, cum euentu ea confirmari oporteat: & ſi quid uerũ in futuro dicatur (nam quod in futuro eloquimur, ſexcentis ante euentum ſeculis, uerũ iam aut falſum eſt, ut* Diodor*us cenſet) eueniat neceſſe eſt: alioquin uerum non erat. ut ſi, uerbi gratia, ex conditione uerũ eſſe dicatur, in forum deſcendes, neceſſe ſit te in forũ deſcendere, non quin tibi liberum ſit non deſcendere (id enim tibi licet) ſed certè ſi non deſcendes, uerum non erat, in forum deſcendes. Iſta eſt* Diodori *ſententia, quæ quemadmodũ* Cicero *dicit cauſas fortuito antegreſſas & uoluntarias, non tollit, nec fatalem inducit neceſsitatem, ſed aliam quandam alterius generis. hac interpretatione, tota tua ratio iacet, ut uides, & friget. Quod enim in futuro uerũ dicetur, eueniet neceſſariò, quia uerum eſt, ut* Diodor*us dicit: neque tamen res quæ eueniet, neceſſaria et fatalis erit. ut ſi uerũ eſt,* Cras *ambulabis,* Cras *ambulare te neceſſe eſt, quãuis ambulare tibi uoluntarium ſit.* Non *enim poteſt uerum commutari in falſum.* V*t enim, quẽadmodum* Origenes *ait, cum dicimus,* Si *quẽ* Deus *prænouit peccaturum, is omnino peccabit, illud omnino diſtinguẽdum eſt, ut ſi neceſsitas fati ſignificetur, falſum ſit: ſi rei exitus, uerũ: ita quoq; illa* Diodori *neceſsitas, ueri conſequentiã euẽtus inducit, fati dominatũ nõ conſtituit. Eadẽ etiã eſt* Theologorũ *ratio & cauſa in* Dei *præſcientia:* Si *enim* Deus *præuidit te cras peccaturum, cras peccabis: idque eueniet omnino, quãuis liberum tibi ſit peccare, & non peccare. Qua in re neceſsitatẽ conſequẽtiæ cõcedũt, quæ nihil uiolentũ & fatale cõtinet, neceſsitatẽ cõſe-*

quẽtis uolũtate homines ſpoliantẽ, & inuictã fati uim cõfirmantem negant. Eadem diſtinctio in Diodori ſentẽtia & neceſsitate ualet: quam tamen non intellectam more tuo damnaſti, fatalémque credidiſti, qui literã nullam Diodori unquam legeras: cùm Plutarchus, Alexãder, Cicero, qui Diodori libros perdiligenter euoluerant, quibus idcirco etiam fidem habueram, nullam in ea fati umbram reperiãt. Ea autem Diodori ſententia, & perſuaſio in eo poſita eſt, quòd is enũciationes, quæ aliquid in futuro eloquũtur, iam planè ueras aut falſas putat, cùm Stoici nec ueras, nec falſas putent: Ariſtoteles inter uerũ & falſum ambiguas propè relinquat metu fati, & in iis ueri falſíque incertam eſſe conditionẽ tradat. Sequitur ſpecimen Dialecticæ tuæ, præclara illa ſumptio, Verum eſt ex uera cauſa effectrice. Sit ita ſanè. Sed multæ ſunt effectrices cauſæ, uel liberæ, uel fortuitæ, quod oblitus eſſe uideris, ut ars, uoluntas, fortuna, ut in uulnere ex tegulæ lapſu: quæ cauſæ in Dei præſcientia certam & exploratam Deo efficere poſſunt conſecutionem euentus, etſi nec ipſæ neceſſariò agant, nec conſequẽs ſit neceſſarium. Itaq; quod in complexione ponis, Verorũ neceſſariorum neceſſarias eſſe cauſas, in quodam neceſsitatis genere non ſolum falſum eſt, uerumetiam, ut tu dicere ſoles, impiũ, ut in Dei præſcientia. Quod enim Deus præuidit, prorſus eueniet, ſine tamen neceſſariis cauſis. Nam ſi cauſæ eſſent neceſſariæ, inuicta quędam & fatalis neceſsitas, atque adeo ineluctabile & immutabile fatũ omni poteſtate uoluntatem noſtram ſpolians conſtitueretur. Iſta autẽ de quibus hîc diſſerimus, abſolutè neceſſaria non ſunt, quæ neceſ-

ſarias,

ſarias cauſas nihil deſiderant. Mox Dialecticæ *diffiſus tuæ, non ad conuitia, ſed ad crimina delaberis, ut quod ratione & æquitate non potes, accuſatione & terrore obtineas. nouum diſputandi genus, & ſcholis nõ uſitatum, ſed* Quæſitoris *tribunali. impietatẽ, uir ſceleratiſſime & impuriſſime, tu mihi obiicere audes? E*go *uerò tibi diuortij uerba reſpõdeo,*Res *tuas tibi habeto. eſt enim impietas diſciplinæ tuæ alumna, qui* Academiam *nouam, quam reuocare non potuiſti, etiã nũc animo conceptã contines, & tui iſtius* Cõ*mentarij initio ad eam nos remittis, ut ſatis ſenſus tuus perſpiciatur.* Sed *iſtud crimen quod, ſcelerate delator, obiicis, eo magis contemno, quod nullius eiuſmodi fraudis mihi conſcius ſum.* Eadem *erras pagina, cùm* ἄρχοντα, *quinquaginta uirũ, qui* πρυτάνεις *dicebãtur, principẽ facis. nam* ἄρχων *ille, ex cuius nomine annorũ faſti perſcribebãtur* Athenis, *nihil cõmune cum quingenaria curia habebat, nec cũ quinquaginta uiris, decima quingenariæ curiæ parte. unus enim erat eorũ qui nouẽ magiſtratus uocabãtur.* Pollux, ἀρχόντων ἀθήνησιν ὀνόματα· οἱ ἐννέα ἄρχοντες. εἰσὶ δὲ, ὁ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπώνυμος ἄρχων, βασιλεὺς, πολέμαρχος, θεσμοθέται ἕξ. ἐκ τούτων γὰρ οἱ ἐννέα ἄρχοντες συμπληροῦνται. Id *eſt,* Magiſtratuũ Athenis *nomina: nouem magiſtratus. ij ſunt,* Archon *annũ nominans,* Rex, Polemarchus, Theſmothetæ *ſex.* Ex *iis enim nouem magiſtratus explentur.* Idem *apud* Suidam *leges: idem in argumento orationis cõtra* Androtionem. Interfecto *autem* Codro Rege, *primum* Athenienſes, Archõtas *habere cæperũt: initio perpetuos, poſtea in denos annos: poſtremò annuos.* Paterculus *de* Codri *filio:* Huius *filius* Medon, *primus* Archon

Athenis fuit. Ab hoc poſteri apud Atticos, *dicti* Medonti*dæ, ſed hi inſequenteſque* Archontes,*uſque ad* Charopem, *dum uiuerent, eum honorem uſurpabãt.* Iterũ, Tum Athe*nis perpetui* Archontes *eſſe deſierunt, cum fuiſſet ultimus* Alcumæõ, *cœperũtq; in denos annos creari: quæ cõſuetudo in annos ſeptuaginta manſit, ac deinde annuis commiſſa eſt magiſtratibus reſp.* Ex *iis qui denis annis præfuerũt, primus fuit* Charops, *ultimus* Erix. Ex *annuis primus* Creon. Hîc *etiam falsò ſcribis* Soldurios *eſſe apud* Cæſarem *quoſdã* Gallorum *magiſtratus, cum homines eſſent, qui ſe alicuius amicitiæ dedidiſſent atq; deuouiſſent.* Rurſus *autẽ hac pagina, & ſequente, in* Diodorum *irrito conatu, ut antè, inueheris, & malè intellecta malè oppugnas: quantóque magis in eum niteris, tãto magis inſcitiam tuam prodis.* Neque *enim, ut antè docui, & hîc docerem, niſi odioſum eſſet eadẽ iterare,* Diodorus *contingẽs, fortuitas cauſas, uoluntatis libertatem, id quod neutram in partem propẽſionem momẽtúmque habet, tollit, ut falsò ei imponis, ſed iſta retinet omnia: tamen, ſi quid uerum in futuro ſit, id euenturum eſſe contendit.* Niſi *enim eueniret, uerum in futuro non fuiſſet, ſed falſum.* Merito *uerò* Chryſippeam *illam cauſarum neceſſariarũ ſeriem, quam tu propè uideris approbare,* Cicero *aſpernatur.* Eam *enim omnia, quæ in* Diodorum *falsò confers, incommoda uerè conſequuntur.*

Ad illum locum, Sed *hæc hactenus, in plurimis peccare* Logicum.

Hîc *mihi mirum eſſe uidetur, quid ſit quod cẽſeas* Chryſippum *in* Epicurũ *diſputare, cùm perſpicue* Cicero Chry-

ſippi

ſippi argumẽtum fatum probantis commemoret. Non *enim ſi* Epicuri *paulò pòſt mentionem facit, ſequitur protinus, in eum à* Chryſippo *diſputari .* Incidit *enim* Epicuri *mentio, quia uerebatur, ne ſi eſſet omnis enunciatio uera aut falſa, fatũ induceretur.*Itaque *rem commẽtitiam attulit, minimã atomi inclinationem.*Cum *tamen diſſerit* Chryſippus, *enũciationem omnem ueram eſſe aut falſam, ad fatum confirmandum id affert, nihil de* Epicuro *cogitans .* Id *eſt enim quod* Cicero *ait,* Alia *uideamus, argumẽta ſcilicet, quibus* Chryſippus *fatũ probat.*Mox *grauius errãs ita ſcribis,* Cicero *in patrocinio mallet negare omnem enũciationem ueram eſſe aut falſam.*Ita,*te interprete,* Cicero *tum in diluẽdo argumento patrocinatur* Epicuro *: cùm contrà ipſe ab* Epicuri *ſentẽtia patrociniũ & adiumentũ aduerſus* Chryſippum *petat.*Quid *enim, inquit, ſi* Epicurum *ſequar , & negẽ omnem enũciationem ueram eſſe aut falſam, & hanc plagam potius accipiam, quàm fato fieri omnia comprobẽ?* Vidéſne *quàm conuerſa ſit ratio? intelligíſne quàm præpoſtera ſit interpretatio tua?*Non, *inquam,* Cicero *cum id dicit ,* Epicuro *patrocinatur , ſed ab* Epicuri *opinione qualecunque præſidium uelut ludens petit.* Statim *in cãpo exultas tuo, ac rudem antiquitatẽ doces , &* Dialectices *imperitam, oculóſque (quod dicitur) cornicũ configere conaris.*In *quo tamen mihi non minus inſanire uideris, quàm ille, qui per urbis uias paulò antè ſuperbè incedẽs , ſe* Cæſarẽ *prædicabat.* Hîc *autẽ ais,* Chryſippum *malè argumentari, quod mihi tecum conuenit .* Eſt *enim quod affert , fallax & captioſum:neque ex eo fatũ probatur. nõ tamen qua ex par-*

te tibi uidetur, niſi fallor. Dicis enim, *Cum ſic Chryſippus concludit, ſi eſt motus ſine cauſa, non omnis enunciatio uera erit aut falſa: in hoc connexo, quod primum eſt, nihil habere coniunctum cum annexo.* In quo laberis, neque quid negatur, uides. Nam Stoicis enunciationes de futuro, neque ueræ, neque falſæ ſunt: ſed ueræ & falſæ eſſe poſſunt, ut antè docui. Hinc illud Ciceronis, *Quia futura uera, inquit, non poſſunt eſſe ea, quæ cauſas, cur futura ſint, nõ habeant. & mox, Et ſi tum non eſſet uera hæc enunciatio.* Id Boëtius etiam his uerbis oſtendit: *Putauerunt autem quidã, quorum* Stoici *quoque ſunt,* Ariſtotelẽ *dicere, in futuro contingenti nec ueras eſſe, nec falſas propoſitiones. Quod enim dixit, nihil ſe magis ad eſſe habere, quàm ad nõ eſſe, hoc putauerũt, tanquã nihil eas intereſſet, falſas an ueras putari. neq; ueras enim neq; falſas eſſe arbitrati ſunt. Differit igitur in pronunciationibus illis, quæ in futuro aliquã animi appetitionem, impulſionem motum declarãt, uerum extare ſine cauſa nullo modo poſſe.* Hæc *autem ſunt, quæ potiſſimũ uideantur à fati iure immunia, in quibus etiam fatũ conſtituere* Chryſippus *conatur, cũ id, de quo pronuntiant, ſine cauſa euenire non poſsit: ut ſi dicam,* Cras *ambulabis aut nõ ambulabis, neutrũ ſine cauſa fiet, uel uoluntaria, uel fortuita, uel neceſſaria.* Eſtq́ue *ſatis magnũ* Chryſippo *incõmodum, ſi in aliqua doceat enũciatione, uerum aut falſum eſſe non poſſe ſine cauſa: contendit enim non omnem enunciationem ueram aut falſam fore, id eſt, aliquam non fore.* Itaque quod mox dicit Chryſippus, *Cauſas enim efficiẽtes quod non habebit, id nec uerum, nec falſum erit, malè eſt à*

te intellectum, cum de iis, quæ à motu, appetitione, impulſione, uoluntate, proficiſcẽtia in futuro enuntiantur, accipiendum ſit. Proinde illud tuum Chimæræ monſtrum, & terriculum, quo Chryſippum perturbari poſſe credidiſti, in ultimas terras tibi deportandum eſt: nihil enim Chryſippũ offendit. Quinetiam calumniam adhibes, cùm uerum falſum, uim habere parem contradictioni dicis, uerum non uerum: quaſi uerò in eam ſententiam id Chryſippus dixerit. Hominem nunquam ingenioſiorem & ſolertiorem uidi ad inueniendum falſum. Non id, inquã, uoluit Chryſippus: ſed hanc, uerbi cauſa, enunciationẽ, Cras ambulabis, uerã eſſe non poſſe ſine cauſa, nec eandem falſam eſſe ſine cauſa: nam ſi cras ambulare tibi libeat, uera fuerit: ſi non libeat, falſa. ita uoluntas, cauſa fuerit. Sed ut uentilator manus celeritate ſuffuratur pilulam, ſic motum oculis noſtris ſubduxiſti, proinde quaſi nomen eſſet otioſum in argumentatione Chryſippi. ſic enim refutationẽ inſtituis, ut eius penitus oblitus eſſe uidearis. Nomen motus repone: omnes irriti cõcident conatus tui. Nihil igitur hîc habes, quòd accuſes Logicen Ciceronis. Verũ habemus quòd meritò, uel malitiam culpemus tuam, ſi de induſtria ſententiam peruertiſti: uel ignorantiam uituperemus, ſi (quòd reor) ſenſum nõ perſpexiſti. Ergo & rectè connectit Chryſippus, Si motus eſt ſine cauſa, non omnis enunciatio uera aut falſa erit: non ut ſcribis in Commentario tuo, eſt, nam de futuro loquitur: & quod primum in connexo poſitum eſt, uera ratione cõfirmatur, Cauſas efficiẽtes, quod nõ habebit, id nec uerum, nec falſum fore; magnóq; Dialecticæ tuæ probro iſta tam

inconſideratè reprehendis: uitium autem argumentationis Chryſippi non animaduertiſti. Eſt profectò tibi turpe à me, qui nec Logicus ſum, nec Dialecticus haberi uolo, te hîc doceri: non animaduertiſti, inquam, in quo Chryſippus erret. nam ut motus nullus ſine cauſa ſit, tamen non ex eo efficietur, fatum, cum in cauſis & fortuna & uoluntas numerẽtur: atque iſto modo Cicero & Carneades, haud ſanè paulò meliores quàm tu Dialectici, Chryſippo poſtea reſpondebunt. Es autem ualde acerbus & aſper in Ciceronem, qui quòd ex conditione non abſolutè dixit, ſe, ſi neceſſe ſit, aſſenſurum potius eſſe Epicuro, & negaturum omnem enũciationem eſſe ueram aut falſam, quàm fato omnia fieri cõprobaturum, reprehendas: non enim ignorabat quàm eſſet Epicuri ſententia inepta & falſa, cum præſertim eam hoc libro grauiſsimè poſtea condemnet, & in primo De natura deorũ his uerbis contumelioſè notet: Idem facit contra Dialecticos, à quibus cum traditum ſit in omnibus diſiunctionibus, in quibus aut etiam, aut non poneretur, alterutrum eſſe uerum, pertimuit, ne ſi conceſſum eſſet huiuſmodi aliquid, Aut uiuet cras, aut non uiuet Epicurus, alterutrum fieret neceſſarium: totum aut etiam, aut nõ, negauit eſſe neceſſarium: quo quid dici poteſt obtuſius? Sed ita plerunque ſolent ſcriptores, partes, quas ſuſceperunt, & ueras exiſtimant, defendere: ut omnia ſe potius incommoda ſubituros prædicent, quàm ueram rationem & cauſam prodituros. Nec uero hac in re ullo modo aſſentitur Epicuro, ſed tantum id opponit, quod Epicurei in controuerſiam uocabant.

Ad illum locũ, Extra *pondus & plagã, erraſſe* Logicum.

P*lagam priori editione regionem accipiebas, quòd diceres* Epicuri *ſentẽtia æquidiſtante (ſic enim loquebaris) linea atomos, id eſt, parallelo ſpatio ferri.* A *me admonitus, tam ineptus huius loci interpres eſſe deſiiſti, ac motum ex conflictu atomorum diuersè diſsilientium intellexiſti.* Si *tamẽ diligenter legiſſes, quod extremo meo* Commentario *ſcribo de* Democriti *ſententia &* Epicuri*, plagam de* Democrito *hîc accepiſſes, pondus de* Epicuro*.* Nam *ille apud* Epicurum *ex plaga motus naturalis non eſt, nec primus, ſed uiolentus & ex euentu.* Apud Democritum *autem plaga, principium eſt motus: qua de re hîc agitur.* Plutarchus *de motu*, Δημόκριτος ἓν γένος κινήσεως τὸ κατὰ πληγήν. *id eſt,* Democritus *unum genus motus nouit ex plaga. nam malè in* Plutarcho *legitur,* τὸ κατὰ πλάγιον, *ut reor.* Iterũ *de neceſsitate,* Δημόκριτος τὴν ἀντιτυπίαν, καὶ φορὰν, καὶ πληγὴν τῆς ὕλης. *id eſt,* Democritus *ſoliditatẽ, motionem, & plagam materiæ.* Atque *hic ſenſus mirificè cum* Ciceronis *litera cõſentit.* Sic *enim ſcribit,* Non *enim atomus ab atomo pulſa declinat. illa enim ex impulſione declinatio,* Democriti *eſt, non* Epicuri*.* De Epicuro *enim intelligere inſcitum eſſet, cùm apud eum plaga declinationem ſequatur, non antecedat.* Nam *quî, inquit, poteſt pelli alia ab alia, ſi grauitate ferũtur ad perpendiculum corpora indiuidua rectis lineis, ut* Epicuro *placet?* Quo *ſanè loco ſignificat dilucidè, motum grauitatis eſſe proprium* Epicuri*, nullámque apud* Epicurum *declinationis cauſam eſſe, ut apud* Democritum*.* Democrito *enim atomus pulſa mouetur, & declinat.*

Sequitur enim, inquit, ut ſi alia ab alia nunquam depellatur, nec contingat quidem alia aliam . id eſt, ſi non mouetur ex plaga apud Epicurũ *atomus, ut apud* Democritũ, *ne cõtingit quidẽ atomus atomũ: nam contactus depulſionem faceret.* Ita *fit, ut declinatio* Epicuri *commentitia ſit, & de nihilo orta.* Proinde Cicero *hoc loco, ſtatim* Democriti *mentionem facit, quòd eius ſententiã attigerat: & eius* Epicuríque *ſentẽtiam de atomorum motu infrà multo clarius explicat, his uerbis :* Primùm *cur aliam quandam uim motus habebunt à* Democrito *impulſionis, quam ille plagam appellat, à te,* Epicure, *grauitatis & ponderis?* Plutarchus *quoq; in libro* De *placitis philoſophorum, de motu ſic ſcribit :* ἐπίκουρος δύο εἴδη τῆς κινήσεως, τὸ κατὰ στάθμην, καὶ τὸ κατὰ παρέγκλισιν. Id *eſt,* E*picurus duo motus genera, ad perpendiculum, & per declinationem: in quo plagam* Epicuro *non tribuit. & in capite* De *corporibus, cum ita ſcribit:* κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄτομα, τὸ μὲν κατὰ στάθμην, τὸ δὲ κατὰ παρέγκλισιν, τὰ δὲ ἀνακινούμενα κατὰ πληγὴν, κατὰ παλμόν. Id *eſt,* Moueri *autem indiuidua corpuſcula, partim ad perpendiculum , partim per declinationem , partim retro relata ex plaga per repulſum : repulſionẽ ex plaga uerum indiuiduorum motum non exiſtimat.* Hîc *igitur, quod extremo* Commentario *meo admonui, germanus huius loci ſenſus eſt, ut plaga* Democrito *, pondus* Epicuro *tribuatur.* Attamen *cùm & priore editione & poſteriore tam auius & diuerſus à uero feraris, audes, ô uecors (quid enim non audet proiecta iſta audacia tua, cuius effrænatam licentiã & temeritatem maledicendi , & optimum quenque allatrãdi diuturna impunitas aluit?) audes hîc* Ciceronem *reprehendere,*

rehendere, atque ita ſcribere: Epicurus Ciceronis *propoſitioni reſiſteret, quia negaret ſemper rectè ferri, cum aliquando declinarent.* Epicuri *fuit ſtolidus error, ſed nõ refellitur his argumentis à* Cicerone. *Ita me deus amet, nihil eſſe poteſt obtuſius, nihil pinguius, nihil tardius iſto, uerbo & prædicatione, nõ re nec factis* Dialectico. Non *uides firmiſſimo argumento declinationem oppugnari, atque adeò in totum expugnari?* Negat *enim eius ullam apud* Epicurum *eſſe cauſam, ſed rem eſſe ad libidinẽ fictam: nam ſi qua eius eſſet cauſa, ea impulſio & plaga eſſet.* Sed *impulſio cauſa motus eſt apud* Democritum, *non apud* Epicurũ: *qui cenſet ad perpendiculum corpora ferri ſuapte grauitate.* Qua *de re ſic* Lucretius *ſcribit,*

Nanque *hoc in promptu manifeſtúmque eſſe uidemus,*
Pondera *quantum in ſe eſt, non poſſe obliqua meare,*
E *ſupero cùm præcipitant.*

Pondus *enim cauſa eſt ſuapte natura, recti in præceps, & ad lineam motus, non obliqui, nec declinantis.* Ergo *cum* Epicurus *motum ex plaga tollat, in atomis autem pondus, cauſam motus dicat, nec pondus declinationis ullam uim contineat, neceſſe eſt declinationẽ fateatur ſine cauſa fieri.* Scio *ingenio tuo inſitũ atq; innatũ perditũ quoddam reprehendendi auctores ſtudiũ, quòd ita te ad famam peruẽturum putes.* Quo *minus obſequaris animo & ingenio tuo, non recuſamus: tantũ petimus, quod æquiſſimum eſt, ne non intellectos per ſummum ſcelus accuſes, ſed mentem eorum diligenter antè perſpicias, & ſenſum eruas: ubi uerum nobis ſenſum enodaueris, tum tu iſta reprehendendi libidine, quantum uoles, abutitor: tũ,*

ſi tibi uidetur, fanaticus caput iactato, & petulãtiam exerceto tuam, ne rubiginem ducat. Tum *ſanè etiam peccabis, ſed multo quàm nunc tolerabilius: minus enim multos in errorem induces, quia fieri non poterit, quin uerus ſenſus alicuius animo inhæreſcat.* Nunc *autẽ de induſtria in auctoribus ſenſus abſurdos & alienos captare & ſequi uideris, ut eos in inuidiam uoces, & reprehendere aliquid poſſis.* Mox *ſcribis,* De *tribus his motibus iã ſcripſi: in quo furtum facere maluiſti, quàm mutuum accipere.* Ac *meo iudicio in furando es ingenioſior multo, quàm interpretando.* Quàm *callidè, quæ initio libri ſcripſi, in ſequentia retuliſti, ne à me accepiſſe uidereris? quàm aſtutè, quæ hoc loco de motu atomorum diſſerueram, antè occupaſti, ne furta apparerent, abiurataque rapinæ? ſic ex alieno tuũ facis.* Sta*tim autem ſcribis,* Mathematicorum *dictiones eſſe regulam, lineam, perpendiculũ, normam: & tamen ex* Vitruuio & Epiſtolis ad Quintum *fratrem, probas eſſe* Architectorũ, *ut probatio cum ſententia tua nullo modo conſentiat.* Ego *autem exiſtimo* Romanos Architectos *ante ætatem* Sulpitij Galli, *qui primus* Romani *nominis* Mathematica *didicit, linea, regula, perpendiculo uſos eſſe.* Non *ita longè in* Carneadis *ſolutione delinquis: ſic enim ſcribis,* Carneades *igitur reſiſtebat ſecũdi* Syllogiſmi *aſſumptioni,* Sed *omnia fiũt cauſis antegreſsis. imò uero* Carneades *acutè & ſubtiliter, non obtusè cõmentitia quadam declinatione occurrit argumento, quo contendit* Chryſippus *nullum motum eſſe ſine cauſa, noménq; cauſæ diſtinguit in externam & internam, qualis uoluntaria eſt.* Rurſus *eodem mox loco grauiter*

ter peccas, cùm ſcribis, Prolepſis *pro* Epicuro, *quem dicerent* Epicurei *uulgi more locutũ, cum dixiſſet ſine cauſa aliquid fieri. Scitum interpretem, & lynceum?* Iube *tibi oculos effodi: nihil enim uides. hîc, ô bone, uerba* Chryſippi *à* Carneade *diſtinguũtur, non* Epicuri. Nam *cum ſumpſiſſet* Chryſippus, *Si motus eſt ſine cauſa, non omnis enunciatio uera uel falſa erit, cauſam dixerat, ut in communi conſuetudine ſermonis, cum ita dicimus uelle aliquid quempiam, aut nolle ſine cauſa.* Ita *enim dicimus, ſine cauſa, ut dicamus ſine externa & antecedẽte cauſa, quod hæc uerba* Ciceronis *perſpicuè oſtẽdũt.* Motus *ergo ſine cauſa nullus eſt.* Quod *ſi ita eſt, omnia quæ fiunt, cauſis fiunt antegreßis.* Vidéſne *Chryſippum à cauſa ad externam cauſam gradũ facere?* Plutarchus *quoque refert* Stoicorum *firmamentum eſſe ad fatum conſtituẽdum,* μηδὲν ἀναιτίως γίνεσθαι, ἀλλὰ κατὰ προηγουμένας αἰτίας. Id *eſt, nihil ſine cauſa fieri, ſed antegreßis cauſis.* Nõ *igitur, ut falsò cenſes, iſta ſunt* Epicuri *uerba, ſed* Stoicorum. Medici *autem, etſi nomina cauſarũ à* Stoicis *mutuati ſunt, tamen uim uerborum immutaſſe quodam modo uidentur, cum eis* αἴτιον προηγούμενον, *cauſa ſit interna:* προκαταρκτικὸν, *externa.* Galenus *de morborum cauſis,* τὰς μὲν δὴ κατ᾽ αὐτὸ τὸ ζῶον, εἴτ᾽ οὖν διαθέσεις, εἴτε καὶ κινήσεις παρὰ φύσιν, αἰτίας ὀνομάζουσι προηγουμένας νοσημάτων· τὰ δὲ ἔξωθεν προσπίπτοντα, καὶ ἀλλοιοῦντα, καὶ μεταβάλλοντα μεγάλως τὸ σῶμα, προκατάρχοντά τε καὶ προκαταρκτικὰ καλοῦσιν αἴτια. Id *eſt,* Atq; *in ipſo animãte, ſiue affectiones, ſiue commotiones contra naturam, cauſas nominant antegreſſas morborum: quæ extrinſecus incidũt, conuertunt, immutántque inſigniter corpus, cauſas præpo-*

ſitas & antè exordientes. Tamen ex Plutarcho, uerbíſqu Ciceronis nulla magnoperè differentia apud Stoicos fuiſſ. uidetur. Interdum etiam προηγούμενον αἴτιον opponitur τῷ κατὰ συμβεβηκὸς, cùm ſit propria rei cauſa ſuapte ui & poteſtate, non ex conſecutione atque caſu.

Ad illum locum, Et ſi tum non eſſet uera hæc enunciatio, Logicum erraſſe.

Incredibile eſt dictu, quàm me iuuet erroribus tuis coarguendis operam dare, uel quòd magna te inanitate liberabo ſtultæ opinionis, qua ad inſolentiam uſque te circumſpicis in eloquentia & philoſophia, cùm ab utraq; longiſsimè abſis: uel quia adoleſcẽtiæ noſtræ, quam improbus magiſter, in deteriorem partem plerũque inducis, oſtendo: qui ſis, quàm inanis ſcientiæ, plenus arrogantiæ. His enim lectis, ſpero futurum, ut non ſolùm hominum iudicio, uerùm etiam tacita tua conſcientia, quanquam ualde tibi places, in ordinem cogaris, hominéſque in ſpecioſis illis & ambitioſis titulis, qui profectò, ut ne alia quæramus argumenta, ſatis animi tui uitium indicant, poſthac rideant, tu erubeſcas. Senſum, tantus profeſſor, in loco minime obſcuro nõ perſpexiſti, cùm ita ſcribis: Quidam legunt, Ne illa quidem euerſa, uera eſt hæc enunciatio, quod aliquid habet adiumenti, ſenſum tamẽ plenum non habet: ſenſus ſiquidem uidetur fuiſſe, Si ſexcentis antè ſeculis dicta hæc enunciatio, Scipio Numantiam capiet, uera non eſſet: ne Numantia quidem euerſa, uera nũc eſt hæc enunciatio, Cepit Numantiã Scipio. hanc enim ſententiam

tentiam proxima collatio requirit, ubi præteriti & futuri temporis ueritas, inſtantis temporis ueritate æſtimatur. Ego *uero ita ex emendatione mea integram & claram eſſe ſententiam arbitror, ut equidem mirer à te non intellectam.* Quid *enim conatur probare* Cicero? *nempe ſexcentis antè ſeculis ueram hanc enunciationem fuiſſe,* Capiet Numantiam Scipio. *Alioqui enim ſi infinitis antè ſeculis uera nõ ſit, ne capta quidem urbe, uera fuerit: ſi nec antè, nec poſt uera ſit, nunquam uera fuerit, quãquam res euenerit.* V*rbe autẽ capta ueram non eſſe ſatis conſtat:* Alioqui *futurum præteritum eſſet.* Sexcentis *igitur ſeculis antè uera fuit.* Ciceronẽ *autem tantum de futuro diſputare, nõ de præterito, ut ſtultè ſentis, ipſa uerba quæ mox ſubiicit, indicant.* Poteſt *igitur aliquid factum eſſe, quod non uerum fuerit, futurũ eſſe.* In *hac complexione, ut uides, futurum colligitur, de quo ambigebatur.* Nulla *enim* Ciceroni *cum* Stoicis *de præterito controuerſia erat, ſed de futuro.* Atque *in ſimilitudine, quæ ſequitur, præteritum, argumentum eſt confeſſum, probatióque futuri, de quo quæritur.* Diſputat *enim, ut præteritum uerum eſſe dicitur, quod euenit, ſic futurum uerũ eſſe dicendum, quod eueniet: quod tamen* Stoici *negabant, qui enunciationes, quæ de futuro pronuntiant, ueras eſſe poſſe & falſas dicebant, nondũ tamen ueras eſſe, aut falſas.* Cõ*tendit enim* Cicero, *ſi nondum ueræ ſunt, ante euentum rei, cum res euenerit, ueras non fore.* Ita *neceſſariò ante rei exitum ueras eſſe dicendas, aut nunquam ueras.* Hîc *igitur, quod eſt deforme tibi, argumentum à quæſtione diſtinguere non potuiſti: atque in facillimo* Dialectici *munere, &*

propè puerili, tantus doctor & magiſter, turpiter erraſti. T*olerabilius omnino ſuperiore editione peccaueras: incideras enim in uitioſam lectionem.* N*unc uerò loco ſic à me reſtituto, tam plana ſententia, cùm non ſolùm improbè uerũ opprimere ſtudeas, ſed etiam prioris editionis errorem pertinaciter defendas, non rationibus liberaliter conuincẽdus es, ſed fuſtibus ſeruilem in modum mulctandus.* E*xiſtimaſſe autem* Stoicos *eas de futuro enunciationes nondum ueras aut falſas eſſe, ſic docet* Cicero: Si *hæc enunciatio,* V*eniet in* T*uſculanum* Hortẽ*ſius, uerum non eſt, ſequitur ut falſum ſit: quorum iſti neutrum uolũt, id eſt,* Stoici. Id *etiam* Alexander *oſtendit:* ὅμοιον δὲ τούτῳ καὶ τὸ λέγειν τὸ ἀξίωμα, τὸ ἔσται αὔριον ναυμαχία, ἀληθὲς μὲν εἶναι δύνασθαι, οὐ μέντοι καὶ ἀναγκαῖον. ἀναγκαῖον μὲν γὰρ τὸ ἀεὶ ἀληθές· τοῦτο δὲ οὐκέτι ἀληθὲς μὲν, ἐπεὶ δ' ἂν ἡ ναυμαχία γένηται. Id eſt, Huic *ſimile eſt etiã, quod aiunt, pronunciatum iſtud,* Cras *erit prælium nauale, uerũ eſſe poſſe, non tamen neceſſarium.* Neceſſarium *enim eſſe quod ſemper uerum ſit: iſtud autem nondum uerum eſſe, ſed tum denique, cùm prælium nauale fuerit.* Rur*ſus in* Dio*dorum &* Ciceronem *paulò pòſt, non cõcionali tuo clamore, ſed accuſatoria criminatione inueheris, & fortiter in errando propoſitum urges tuum, cum nec quid dicat, nec quid ſentiat* Diodorus, *intelligas: mauíſq; calumniator importunus eſſe, quàm diligens interpres haberi, & delationi tuæ fidẽ potius haberi poſtulas, qui libros* Diodori *nõ legiſti, quàm* Ciceronis *interpretationi, qui eos accuratè euoluerat.* A*nimaduerti autem in ſentẽtia* Diodori, *duo obſeruanda & notanda eſſe:* V*num, ſignificationem eius quod*

fieri

fieri poteſt, ab eo in iis tantũ, quæ ſint aut futura ſint, poni, cùm ab Ariſtotele & Chryſippo aliter definiatur. Sed iſta de uocabulo lis atq; cõtrouerſia uidetur, neq; rem attingit: tãtũ alia ſubiicitur ei, quod fieri poteſt, uis atq; notio. Alterũ, nobis certa & explorata non eſſe, quæ in poſterum uera ſint futura: ſi quid tamen uerum ſit, id eventurum eſſe. Nam ſi non eueniret, uerum in falſum conuerti poſſet: quod factu nefas, atque adeò ne uerum quidem fuiſſet. Proinde etiam pronunciationes de futuro, iam antè ſexcentis ſeculis ueras aut falſas eſſe, cùm Stoicis nec ueræ nec falſæ, Ariſtoteli incertæ eſſe uideantur. Atque iſta ſententia, ut falſa ſit, tamen nullam neceſsitatẽ in rebus conſtituit, ſed uim enunciationũ interpretatur: ut ſi ueræ ſint, res eueniat, ſiue fortuita, ſiue uoluntaria cauſa eas ad exitũ adducat. Nam ueri immutabilitas confirmatur, non fati neceſsitas ſancitur. Quid igitur habes, homo criminoſe, quod Diodoro & Ciceroni impietatem obiicias? Nónne ſi leges ualerent, impietatis in te calumniæ condemnatum pœna conuerti deberet, ut eam ipſe tuo capite lueres, quam aliis irrogare per ſummũ ſcelus ſtuduiſti? Ac mihi permirum eſſe uidetur, quod in Chryſippo fati aſſertore, & maioris impietatis affini, conniueas: in Diodoro, ſi uis, errante (nam mihi eius ſententia non probatur) fatum tamen introducere ſe non exiſtimante, tam acerbus & uehemens ſis, ut ſemper ipſum, quoties eius mentio incidit, impietatis condemnes. Retineri autem à Diodoro cauſas uoluntarias & fortuitas ſcire potuiſti, niſi multo antè falſa opinione imbutus & delectatus, uerum ſenſum aſpernatus eſſes: uerum autem ſenſum dedi-

ta opera fugiſti, ut in reprehenſionibus te uenditare poſſes. Ita Cicero de Diodori *ſententia ſcribit:* Nec *ſi omne enunciatum aut uerum aut falſum eſt, ſequitur ilico eſſe cauſas immutabiles, eáſque æternas, quæ prohibeant quicquam ſecus cadere atque caſurum ſit.* Fortuitæ *ſunt cauſæ, quæ efficiant, ut uerè dicantur, quæ ita dicentur,* Veniet *in* Senatum Cato, *non incluſæ in rerum natura atque mundo: & tamen tam eſt immutabile uenturum, cum eſt uerum, quàm ueniſſe: nec ob eam cauſam fatum, aut neceſſitas extimeſcenda eſt.* Niſi *forte cenſes tam hebetem & rudem fuiſſe* Ciceronem, *ut intelligere non potuerit, quid hæc opinio cum fato commercij & rationis haberet: aut te, cui comparata noctua acie acerrima uideri poteſt, iſta cernere poſſe credis, illũ non potuiſſe credis.* Quanto *probabilius eſt te in* Diodoro *allucinari, illũ uerũ uidere?* Deſine *igitur imperitiã & inconſtantiam, omniũ quos unquã cognouerim, indoctiſſime, iuxtà & arrogantiſſime, uitia à* Cicerone *abhorrentia, in te conuenientia, homini eloquenti & philoſopho, infans & indoctus obiicere: ac uide ne dum inſanis, in crimen impietatis ipſe prolabaris.* Nam *ſi rationes tuæ ueræ ſunt, confirmo tibi fatum eſſe, niſi nomen neceſſitatis diſtinguis: ſed ſi diſtinctionem adhibes, quod in tua cauſa ualebit, in* Diodori *non ualebit?* Sic *enim ais,* Non *enim ueritas rerum neceſſaria & immutabilis eſt, niſi ex neceſſariis & immutabilibus rerum cauſis.* Erras, *qui quod in enũciationibus tibi quærendum fuit, in rebus quæras.* Sed *fac de rebus agi.* Præteritum *immutabile eſt, immutabiles tamẽ cauſas nõ habuit.* Nam *in iis quæ facta ſunt, nullũ etiam* Deo,

ut

ut plerique dicunt, ius eſt, præterquam obliuionis. Vides igitur in præteritis falſum eſſe, quod ſumis. Quid? ſi deus te oſtentatorẽ fore & ſophiſtam præuiderit, & præſcierit, nõne omnino oſtentator & ſophiſta eris, atque adeo iis moribus præditus, ut ad eloquentiam & philoſophiam dedecorandã natus eſſe uideare? omnino talis euadas neceſſe eſt: alioqui deus id non præſcierit, aut falſum præſcierit. Et tamẽ etiam nũc potes exuere iſtam animi uanitatem atque fucum, neque tibi deus uim ullam affert: ſed cauſarum, quãuis nõ neceſſariarum, uim ſatis ſpectatam habet, ſatíſq; compertam, ut certo præſenſerit ita euenturum. Quæ cum ita ſint, aut tibi impiè fati ius ſanciendum eſt, aut neceßitas diſtinguenda: unáque abſoluta, altera tanquã ex conditione ponẽda: una fatalis & ineluctabilis, altera non uiolẽta, conſequẽtiã tamen quandã habẽs & ordinẽ, (alij neceßitatẽ ex adiũctione uocant, & ſimplicem atque abſolutam) una, quæ euẽtu & exitu cẽſeatur, etſi neceſſarias non habeat cauſas: altera quæ efficientia cauſarũ neceſſariarũ ſuum opus moliatur. Eadẽ *prope eſt* Diodori *ratio: neceßitatẽ enim ex adiunctione & cõditione, & euentus fide tuetur: quæ etſi non mutatur, tamẽ non eſt fatalis, quòd ſimplex & abſoluta nõ ſit: & contendit pronunciata in futuro, iam falſa aut uera eſſe, quod alij uel negant, uel incerto dubitantérq; dicunt.* Id *te* Ciceronis *uerba docebãt, ſi docilis eſſes, & animus tuus uerum caperet, aſſuetus falſo. Sic enim ſcribit,* Et *tamẽ tam eſt immutabile uẽturum, cum eſt uerum, quàm ueniſſe.* Li*berum enim facit* Catoni, *uenire aut non uenire: uerum tamen ſi uerũ ſit uẽturum eſſe, quod tanquam adiunctionis eſt*

probabatur, enumerat. Eadem etiam Senecæ *ſententia eſt, idem iudicium.* Ita *enim ſcribit,* Aut *futurum, inquit, eſt, aut non futurum: ſi futurum eſt, etiam ſi non ſuſceperis uota, fiet: ſi non eſt futurum, etiam ſi ſuſceperis uota, non fiet.* Subiicit *enim paulò pòſt,* I*ſta nobis opponi ſolent, ut probetur nihil uoluntati noſtræ relictum, & omne ius fato traditum.* Id *etiam multo apertius docet* Origenes, *cuius eo libentius uerba ſubſcribam, quòd ea ex illis* Stoicorum Com*mentariis exſcripſerit, unde* Cicero *ſumpſiſſe conuertiſſequè uidetur.* Ita *ergo ſcribit,* ἀλλὰ καὶ ὁ ἀργὸς καλούμενος λόγος, σόφισμα ὢν τοιοῦτος ἐπιλεγόμενος ἐπὶ ὑποθέσεως πρὸς τὸν νοσοῦντα, καὶ ὡς σόφισμα ἀποτρέπων αὐτὸν χρῆσθαι τῷ ἰατρῷ πρὸς ὑγείαν. ἔχει δὲ οὕτως ὁ λόγος· εἰ εἵμαρταί σοι ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου, ἐάν τε εἰσάγῃς τὸν ἰατρὸν, ἐάν τε μὴ εἰσάγῃς, ἀναστήσῃ. ἀλλὰ καὶ εἰ εἵμαρταί σοι μὴ ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου, ἐάν τε εἰσάγῃς τὸν ἰατρὸν, ἐάν τε μὴ εἰσάγῃς, οὐκ ἀναστήσῃ. ἤτοι δὲ εἵμαρταί σοι ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου, ἢ εἵμαρται μὴ ἀναστῆναι. μάτην ἄρα εἰσάγεις τὸν ἰατρόν. ἀλλὰ χαριέντως τούτῳ τῷ λόγῳ ἀντιπαραβάλλεται τοιοῦτόν τι. εἰ εἵμαρταί σοι τεκνοποιῆσαι, ἐάν τε συνέλθῃς γυναικὶ, ἐάν τε μὴ συνέλθῃς, τεκνοποιήσεις· ἀλλὰ καὶ εἰ εἵμαρταί σοι μὴ τεκνοποιῆσαι, ἐάν τε συνέλθῃς γυναικὶ, ἐάν τε μὴ συνέλθῃς, οὐ τεκνοποιήσεις. ἤτοι δὲ εἵμαρταί σοι τεκνοποιῆσαι, ἢ μὴ τεκνοποιῆσαι. μάτην ἄρα συνέρχῃ γυναικί. ὡς γὰρ ἐπὶ τούτου, ἐπείπερ ἀμήχανον τεκνοποιῆσαι, μὴ συνελθόντα γυναικὶ, οὐ μάτην παραλαμβάνεται τὸ συνελθεῖν γυναικί· οὕτως εἰ τὸ ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου ὁδῷ τῇ ἀπὸ ἰατρικῆς γίνεται, ἀναγκαίως παραλαμβάνεται ὁ ἰατρὸς, καὶ ψεῦδος τὸ, μάτην εἰσάγεις τὸν ἰατρόν. Id *eſt,* Sed *& captioſa ratio, quæ appellatur ignaua, huiuſmodi per fictionẽ ægroto proponitur, captione eum deterrens, ne ad ualetudinem medico utatur.* Ea *talis eſt,*

eſt, ſi fatum tibi eſt ex hoc morbo conualeſcere, ſiue tu medicum adhibueris, ſiue non adhibueris, conualeſces. Item, *ſi fatum eſt tibi non conualeſcere, ſiue medicum tu adhibueris, ſiue non adhibueris, non conualeſces: & alterutrum fatum eſt. medicum ergo adhibere nihil attinet. Sed uenuſtè huic rationi alia huiuſmodi refertur. Si fatum tibi eſt procreare, ſiue cum muliere fueris, ſiue non fueris, procreabis.* Item, *ſi fatum tibi eſt non procreare, ſiue cum muliere fueris, ſiue non fueris, nõ procreabis: & alterutrum fatum eſt. nihil igitur attinet cum muliere concumbere.* Vt *enim hîc ſi fieri non poteſt, ut quis procreet, niſi cum muliere concubuerit, non ſine cauſa cum muliere eſſe aſſumitur:* Sic *ſi ualetudinis recuperatio medicinæ uia efficitur, neceſſario adhibetur medicus: ac falſum eſt fruſtra medicum introduci.* Hîc *igitur non ſolum falſum, ſed etiam contrarium ſcripſiſti.* Nam *quo tandem pacto hæc ratio ad confirmandum fatum adhiberi queat, cum ex ea fatũ non colligatur, ſed in ea fatum pro argumento ponatur?* Hîc *fatum quæſtio non eſt,* Dialectice *noſter, ſed probatio: nec concluditur, ſed concludit.* Turpe *profectò tibi eſt, ſic in argumentationibus delinquere, ut argumentum à quæſtione non poſsis diſtinguere.* Mox *proinde quaſi errorũ te pœniteret, quos editione priori admiſiſſes, ad illum locum,* Ex *iſto morbo non conualeſces, annotationem ſubſcribis præclaram.* Negatione *hîc nihil opus eſt: nam ſi negatio falſa eſt, affirmatio certè erit uera.* Itaque *ſi* Cicero, *ut codices indicãt, ita ſcripſerit, ſcripſit ſane cõtrarium quàm ſenſit.* Hîc *parum abeſt, quin putẽ aliquo malo carmine mentem tibi ademptam, ita nihil ea ute-*

te tibi uidetur, niſi fallor. Dicis enim, *Cum ſic Chryſippus concludit, ſi eſt motus ſine cauſa, non omnis enunciatio uera erit aut falſa: in hoc connexo, quod primum eſt, nihil habere coniunctum cum annexo.* In quo laberis, neque quid agatur, uides. Nam Stoicis enunciationes de futuro, neque ueræ, neque falſæ ſunt: ſed ueræ & falſæ eſſe poſſunt, ut antè docui. Hinc illud Ciceronis, *Quia futura uera, inquit, non poſſunt eſſe ea, quæ cauſas, cur futura ſint, nõ habeant. & mox,* Et *ſi tum non eſſet uera hæc enunciatio.* Id Boëtius *etiam his uerbis oſtendit:* Putauerunt *autem quidã, quorum* Stoici *quoque ſunt,* Ariſtotelẽ *dicere, in futuro contingenti nec ueras eſſe, nec falſas propoſitiones.* Quod *enim dixit, nihil ſe magis ad eſſe habere, quàm ad nõ eſſe, hoc putauerũt, tanquã nihil eas intereſſet, falſas an ueras putari. neq; ueras enim neq; falſas eſſe arbitrati ſunt.* Differit *igitur in pronunciationibus illis, quæ in futuro aliquã animi appetitionem, impulſionem motum declarãt, uerum extare ſine cauſa nullo modo poſſe.* Hæc *autem ſunt, quæ potiſsimũ uideantur à fati iure immunia, in quibus etiam fatũ conſtituere* Chryſippus *conatur, cũ id, de quo pronuntiant, ſine cauſa euenire non poſsit: ut ſi dicam,* Cras *ambulabis aut nõ ambulabis, neutrũ ſine cauſa fiet, uel uoluntaria, uel fortuita, uel neceſſaria.* Eſtque *ſatis magnũ* Chryſippo *incõmodum, ſi in aliqua doceat enũciatione, uerum aut falſum eſſe non poſſe ſine cauſa: contendit enim non omnem enunciationem ueram aut falſam fore, id eſt, aliquam non fore.* Itaque *quod mox dicit* Chryſippus, Cauſas *enim efficiẽtes quod non habebit, id nec uerum, nec falſum erit, malè eſt à*

te

te intellectum, cum de iis, quæ à motu, appetitione, impulſione, uoluntate, proficiſcẽtia in futuro enuntiantur, accipiendum ſit. Proinde illud tuum Chimæræ monſtrum, & terriculum, quo Chryſippum perturbari poſſe credidiſti, in ultimas terras tibi deportandum eſt: nihil enim Chryſippũ offendit. Quinetiam calumniam adhibes, cùm uerum falſum, uim habere parem contradictioni dicis, uerum non uerum: quaſi uerò in eam ſententiam id Chryſippus dixerit. Hominem nunquam ingenioſiorem & ſolertiorem uidi ad inueniendum falſum. Non id, inquã, uoluit Chryſippus: ſed hanc, uerbi cauſa, enunciationẽ, Cras ambulabis, uerã eſſe non poſſe ſine cauſa, nec eandem falſam eſſe ſine cauſa: nam ſi cras ambulare tibi libeat, uera fuerit: ſi non libeat, falſa. ita uoluntas, cauſa fuerit. Sed ut uentilator manus celeritate ſuffuratur pilulam, ſic motum oculis noſtris ſubduxiſti, proinde quaſi nomen eſſet otioſum in argumentatione Chryſippi. ſic enim refutationẽ inſtituis, ut eius penitus oblitus eſſe uidearis. Nomen motus repone: omnes irriti cõcident conatus tui. Nihil igitur hìc habes, quòd accuſes Logicen Ciceronis. Verũ habemus quòd meritò, uel malitiam culpemus tuam, ſi de induſtria ſententiam peruertiſti: uel ignorantiam uituperemus, ſi (quòd reor) ſenſum nõ perſpexiſti. Ergo & rectè connectit Chryſippus, Si motus eſt ſine cauſa, non omnis enunciatio uera aut falſa erit: non ut ſcribis in Commentario tuo, eſt, nam de futuro loquitur: & quod primum in connexo poſitum eſt, uera ratione cõfirmatur, Cauſas efficiẽtes, quod nõ habebit, id nec uerum, nec falſum fore; magnóq; Dialecticæ tuæ probro iſta tam

inconſideratè reprehendis: uitium autem argumentationis Chryſippi non animaduertiſti. Eſt profectò tibi turpe à me, qui nec Logicus ſum, nec Dialecticus haberi uolo, te hîc doceri: non animaduertiſti, inquam, in quo Chryſippus erret. nam ut motus nullus ſine cauſa ſit, tamen non ex eo efficietur, fatum, cum in cauſis & fortuna & uoluntas numerẽtur: atque iſto modo Cicero & Carneades, haud ſanè paulò meliores quàm tu Dialectici, Chryſippo poſtea reſpondebunt. Es autem ualde acerbus & aſper in Ciceronem, qui quòd ex conditione non abſolutè dixit, ſe, ſi neceſſe ſit, aſſenſurum potius eſſe Epicuro, & negaturum omnem enũciationem eſſe ueram aut falſam, quàm fato omnia fieri cõprobaturum, reprehendas: non enim ignorabat quàm eſſet Epicuri ſententia inepta & falſa, cum præſertim eam hoc libro grauiſsimè poſtea condemnet, & in primo De natura deorũ his uerbis contumelioſè notet: Idem facit contra Dialecticos, à quibus cum traditum ſit in omnibus diſiunctionibus, in quibus aut etiam, aut non poneretur, alterutrum eſſe uerum, pertimuit, ne ſi conceſſum eſſet huiuſmodi aliquid, Aut uiuet cras, aut non uiuet Epicurus, alterutrum fieret neceſſarium: totum aut etiam, aut nõ, negauit eſſe neceſſarium: quo quid dici poteſt obtuſius? Sed ita plerunque ſolent ſcriptores, partes, quas ſuſceperunt, & ueras exiſtimant, defendere: ut omnia ſe potius incommoda ſubituros prædicent, quàm ueram rationem & cauſam prodituros. Nec uero hac in re ullo modo aſſentitur Epicuro, ſed tantum id opponit, quod Epicurei in controuerſiam uocabant.

Ad illum locũ, Extra *pondus & plagã,erraſſe* Logicum.

Plagam *priori editione regionem accipiebas , quòd diceres* Epicuri *ſentẽtia æquidiſtante (ſic enim loquebaris) linea atomos, id eſt, parallelo ſpatio ferri.* A *me admonitus, tam ineptus huius loci interpres eſſe deſiiſti,ac motum ex conflictu atomorum diuersè diſsilientium intellexiſti.* Si *tamẽ diligenter legiſſes,quod extremo meo* Commentario *ſcribo de* Democriti *ſententia &* Epicuri *, plagam de* Democrito *hîc accepiſſes,pondus de* Epicuro. Nam *ille apud* Epicurum *ex plaga motus naturalis non eſt,nec primus, ſed uiolentus & ex euentu.* Apud Democritum *autem plaga,principium eſt motus:qua de re hîc agitur.* Plutarchus *de motu ,* Δημόκριτος ἓν γένος κινήσεως τὸ κατὰ πληγήν.*id eſt,* Democritus *unum genus motus nouit ex plaga. nam malè in* Plutarcho *legitur,* τὸ κατὰ πλάγιον,*ut reor.* Iterũ *de neceſsitate,* Δημόκριτος τὴν ἀντιτυπίαν, καὶ φορὰν, καὶ πληγὴν τῆς ὕλης.*id eſt,* Democritus *ſoliditatẽ,motionem,& plagam materiæ.* Atque *hic ſenſus mirificè cum* Ciceronis *litera cõſentit.* Sic *enim ſcribit,* Non *enim atomus ab atomo pulſa declinat.illa enim ex impulſione declinatio,* Democriti *eſt,non* Epicuri. De Epicuro *enim intelligere inſcitum eſſet,cùm apud eum plaga declinationem ſequatur, non antecedat.* Nam *quî, inquit, poteſt pelli alia ab alia, ſi grauitate ferũtur ad perpendiculum corpora indiuidua rectis lineis,ut* Epicuro *placet?* Quo *ſanè loco ſignificat dilucidè,motum grauitatis eſſe proprium* Epicuri *, nullámque apud* Epicurum *declinationis cauſam eſſe,ut apud* Democritum. Democrito *enim atomus pulſa mouetur, & declinat.*

Sequitur enim, inquit, ut ſi alia ab alia nunquam depellatur, nec contingat quidem alia aliam. id eſt, ſi non mouetur ex plaga apud Epicurũ *atomus, ut apud* Democritũ, *ne cõtingit quidẽ atomus atomũ: nam contactus depulſionem faceret.* Ita *ſit, ut declinatio* Epicuri *commentitia ſit, & de nihilo orta.* Proinde Cicero *hoc loco, ſtatim* Democriti *mentionem facit, quòd eius ſententiã attigerat: & eius* Epicurique *ſentẽtiam de atomorum motu infrà multò clarius explicat, his uerbis:* Primùm *cur aliam quandam uim motus habebunt à* Democrito *impulſionis, quam ille plagam appellat, à te,* Epicure, *grauitatis & ponderis?* Plutarchus *quoq; in libro* De *placitis philoſophorum, de motu ſic ſcribit:* ἐπίκουρος δύο εἴδη τῆς κινήσεως, τὸ κατὰ στάθμην, καὶ τὸ κατὰ παρέγκλισιν. Id *eſt,* Epicurus *duo motus genera, ad perpendiculum, & per declinationem: in quo plagam* Epicuro *non tribuit. & in capite* De *corporibus, cum ita ſcribit:* κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄτομα, τὸ μὲν κατὰ στάθμην, τὸ δὲ κατὰ παρέγκλισιν, τὰ δὲ ἀνακινούμενα κατὰ πληγὴν, κατὰ παλμόν. Id *eſt,* Moueri *autem indiuidua corpuſcula, partim ad perpendiculum, partim per declinationem, partim retro relata ex plaga per repulſum: repulſionẽ ex plaga uerum indiuiduorum motum non exiſtimat.* Hìc *igitur, quod extremo* Commentario *meo admonui, germanus huius loci ſenſus eſt, ut plaga* Democrito, *pondus* Epicuro *tribuatur.* Attamen *cùm & priore editione & poſteriore tam auius & diuerſus à uero feraris, audes, ô uecors (quid enim non audet proiecta iſta audacia tua, cuius effrænatam licentiã & temeritatem maledicendi, & optimum quenque allatrãdi diuturna impunitas aluit?) audes hìc* Ciceronem *reprehendere,*

prehendere, atque ita ſcribere: Epicurus Ciceronis *propoſitioni reſiſteret, quia negaret ſemper rectè ferri, cum aliquando declinarent.* Epicuri *fuit ſtolidus error, ſed nõ refellitur his argumentis à* Cicerone. *Ita me deus amet, nihil eſſe poteſt obtuſius, nihil pinguius, nihil tardius iſto, uerbo & prædicatione, nõ re nec factis* Dialectico. *Non uides firmiſſimo argumento declinationem oppugnari, atque adeò in totum expugnari?* Negat *enim eius ullam apud* Epicurum *eſſe cauſam, ſed rem eſſe ad libidinẽ fictam: nam ſi qua eius eſſet cauſa, ea impulſio & plaga eſſet.* Sed *impulſio cauſa motus eſt apud* Democritum, *non apud* Epicurũ: *qui cenſet ad perpendiculum corpora ferri ſuapte grauitate.* Qua *de re ſic* Lucretius *ſcribit,*

N*anque hoc in promptu manifeſtúmque eſſe uidemus,*
P*ondera quantum in ſe eſt, non poſſe obliqua meare,*
E *ſupero cùm præcipitant.* P*ondus enim cauſa eſt ſuapte natura, recti in præceps, & ad lineam motus, non obliqui, nec declinantis.* Ergo *cum* Epicurus *motum ex plaga tollat, in atomis autem pondus, cauſam motus dicat, nec pondus declinationis ullam uim contineat, neceſſe eſt declinationẽ fateatur ſine cauſa fieri.* Scio *ingenio tuo inſitũ atq; innatũ perditũ quoddam reprehendendi auctores ſtudiũ, quòd ita te ad famam peruẽturum putes.* Quo *minus obſequaris animo & ingenio tuo, non recuſamus: tantũ petimus, quod æquiſſimum eſt, ne non intellectos per ſummum ſcelus accuſes, ſed mentem eorum diligenter antè perſpicias, & ſenſum eruas: ubi uerum nobis ſenſum enodaueris, tum tu iſta reprehendendi libidine, quantum uoles, abutitor: tũ,*

ſi tibi uidetur, fanaticus caput iactato, & petulãtiam exerceto tuam, ne rubiginem ducat. Tum ſanè etiam peccabis, ſed multo quàm nunc tolerabilius: minus enim multos in errorem induces, quia fieri non poterit, quin uerus ſenſus alicuius animo inhæreſcat. Nunc autẽ de induſtria in auctoribus ſenſus abſurdos & alienos captare & ſequi uideris, ut eos in inuidiam uoces, & reprehendere aliquid poſſis. Mox ſcribis, De tribus his motibus iã ſcripſi: *in quo furtum facere maluiſti, quàm mutuum accipere. Ac meo iudicio in furando es ingenioſior multo, quàm interpretando. Quàm callidè, quæ initio libri ſcripſi, in ſequentia retuliſti, ne à me accepiſſe uidereris? quàm aſtutè, quæ hoc loco de motu atomorum diſſerueram, antè occupaſti, ne furta apparerent, abiurataq́ue rapinæ? ſic ex alieno tuũ facis. Statim autem ſcribis,* Mathematicorum dictiones eſſe regulam, lineam, perpendiculũ, normam: *& tamen ex* Vitruuio *&* Epiſtolis *ad* Quintum *fratrem, probas eſſe* Architectorũ, *ut probatio cum ſententia tua nullo modo conſentiat. Ego autem exiſtimo* Romanos *Architectos ante ætatem* Sulpitij Galli, *qui primus* Romani *nominis* Mathematica *didicit, linea, regula, perpendiculo uſos eſſe. Non ita longè in* Carneadis *ſolutione delinquis: ſic enim ſcribis,* Carneades *igitur reſiſtebat ſecũdi* Syllogiſmi *aſſumptioni,* Sed omnia fiũt cauſis antegreſsis. *imò uero* Carneades *acutè & ſubtiliter, non obtusè cõmentitia quadam declinatione occurrit argumento, quo contendit* Chryſippus *nullum motum eſſe ſine cauſa, noménq; cauſæ diſtinguit in externam & internam, qualis uoluntaria eſt. Rurſus eodem mox loco grauiter*

ter peccas, cùm ſcribis, Prolepſis *pro* Epicuro, *quem dicerent* Epicurei *uulgi more locutū, cum dixiſſet ſine cauſa aliquid fieri. Scitum interpretem, & lynceum? Iube tibi oculos effodi: nihil enim uides. hîc, ô bone, uerba* Chryſippi *à* Carneade *diſtinguūtur, non* Epicuri. *Nam cum ſumpſiſſet* Chryſippus, *Si motus eſt ſine cauſa, non omnis enunciatio uera uel falſa erit, cauſam dixerat, ut in communi conſuetudine ſermonis, cum ita dicimus uelle aliquid quempiam, aut nolle ſine cauſa.* Ita *enim dicimus, ſine cauſa, ut dicamus ſine externa & antecedēte cauſa, quod hæc uerba* Ciceronis *perſpicuè oſtēdūt.* Motus *ergo ſine cauſa nullus eſt.* Quod *ſi ita eſt, omnia quæ fiunt, cauſis fiunt antegreſsis.* Vidéſne *Chryſippum à cauſa ad externam cauſam gradū facere?* Plutarchus *quoque refert* Stoicorum *firmamentum eſſe ad fatum conſtituēdum,* μηδὲν ἀναιτίως γίνεσθαι, ἀλλὰ κατὰ προηγουμένας αἰτίας. *Id eſt, nihil ſine cauſa fieri, ſed antegreſsis cauſis.* Nō *igitur, ut falsò cenſes, iſta ſunt* Epicuri *uerba, ſed* Stoicorum. Medici *autem, etſi nomina cauſarū à* Stoicis *mutuati ſunt, tamen uim uerborum immutaſſe quodam modo uidentur, cum eis* αἴτιον προηγούμενον, *cauſa ſit interna:* προκαταρκτικὸν, *externa.* Galenus *de morborum cauſis,* τὰς μὲν δὴ κατ' αὐτὸ τὸ ζῷον, ἅτ' οὖν διαθέσεις, ἅτε καὶ κινήσεις παρὰ φύσιν, αἰτίας ὀνομάζουσι προηγουμένας νοσημάτων· τὰ δὲ ἔξωθεν προσπίπτοντα, καὶ ἀλλοιοῦντα, καὶ μεταβάλλοντα μεγάλως τὸ σῶμα, προκατάρχοντά τε καὶ προκαταρκτικὰ καλοῦσιν αἴτια. Id *eſt,* Atq; *in ipſo animāte, ſiue affectiones, ſiue commotiones contra naturam, cauſas nominant antegreſſas morborum: quæ extrinſecus incidūt, conuertunt, immutántque inſigniter corpus, cauſas præpo-*

ſitas & antè exordientes. Tamen ex Plutarcho, *uerbíſqu* Ciceronis *nulla magnoperè differentia apud* Stoicos *fuiſſ. uidetur.* I*nterdum etiam* προηγούμενον αἴτιον *opponitur* τῷ κατὰ συμβεβηκὸς, *cùm ſit propria rei cauſa ſuapte ui & poteſtate, non ex conſecutione atque caſu.*

Ad illum locum, *Et ſi tum non eſſet uera hæc enunciatio, Logicum erraſſe.*

I*ncredibile eſt dictu, quàm me iuuet erroribus tuis coarguendis operam dare, uel quòd magna te inanitate liberabo ſtultæ opinionis, qua ad inſolentiam uſque te circumſpicis in eloquentia & philoſophia, cùm ab utraq; longiſsimè abſis: uel quia adoleſcẽtiæ noſtræ, quam improbus magiſter, in deteriorem partem plerũque inducis, oſtendo: qui ſis, quàm inanis ſcientiæ, plenus arrogantiæ.* His *enim lectis, ſpero futurum, ut non ſolùm hominum iudicio, uerùm etiam tacita tua conſcientia, quanquam ualde tibi places, in ordinem cogaris, hominéſque in ſpecioſis illis & ambitioſis titulis, qui profectò, ut ne alia quæramus argumenta, ſatis animi tui uitium indicant, poſthac rideant, tu erubeſcas.* Senſum, *tantus profeſſor, in loco minime obſcuro nõ perſpexiſti, cùm ita ſcribis:* Q*uidam legunt,* Ne *illa quidem euerſa, uera eſt hæc enunciatio, quod aliquid habet adiumenti, ſenſum tamẽ plenum non habet: ſenſus ſiquidem uidetur fuiſſe,* S*i ſexcentis antè ſeculis dicta hæc enunciatio,* Scipio Numantiam *capiet, uera non eſſet: ne* Numantia *quidem euerſa, uera nũc eſt hæc enunciatio,* Cepit Numantiã Scipio. *hanc enim ſententiam*

tentiam proxima collatio requirit, ubi præteriti & futuri temporis ueritas, inſtantis temporis ueritate æſtimatur. Ego *uero ita ex emendatione mea integram & claram eſſe ſententiam arbitror, ut equidem mirer à te non intellectam.* Quid *enim conatur probare* Cicero? *nempe ſexcentis antè ſeculis ueram hanc enunciationem fuiſſe,* Capiet Numantiam Scipio. *Alioqui enim ſi infinitis antè ſeculis uera nõ ſit, ne capta quidem urbe, uera fuerit: ſi nec antè, nec poſt uera ſit, nunquam uera fuerit, quãquam res euenerit.* Vrbe *autẽ capta ueram non eſſe ſatis conſtat:* Alioqui *futurum præteritum eſſet.* Sexcentis *igitur ſeculis antè uera fuit.* Ciceronẽ *autem tantum de futuro diſputare, nõ de præterito, ut ſtultè ſentis, ipſa uerba quæ mox ſubiicit, indicant.* Poteſt *igitur aliquid factum eſſe, quod non ucrum fuerit, futurũ eſſe.* In *hac complexione, ut uides, futurum colligitur, de quo ambigebatur.* Nulla *enim* Ciceroni *cum* Stoicis *de præterito controuerſia erat, ſed de futuro.* Atque *in ſimilitudine, quæ ſequitur, præteritum, argumentum eſt confeſſum, probatióque futuri, de quo quæritur.* Diſputat *enim, ut præteritum uerum eſſe dicitur, quod euenit, ſic futurum uerũ eſſe dicendum, quod eueniet: quod tamen* Stoici *negabant, qui enunciationes, quæ de futuro pronuntiant, ueras eſſe poſſe & falſas dicebant, nondũ tamen ueras eſſe, aut falſas.* Cõ*tendit enim* Cicero, *ſi nondum ueræ ſunt, ante euentum rei, cum res euenerit, ueras non fore.* Ita *neceſſariò ante rei exitum ueras eſſe dicendas, aut nunquam ueras.* Hîc *igitur, quod eſt deforme tibi, argumentum à quæſtione diſtinguere non potuiſti: atque in facillimo* Dialectici *munere, &*

propè puerili, tantus doctor & magiſter, turpiter erraſti. Tolerabilius omnino ſuperiore editione peccaueras: incideras enim in uitioſam lectionem. Nunc uerò loco ſic à me reſtituto, tam plana ſententia, cùm non ſolùm improbè uerũ opprimere ſtudeas, ſed etiam prioris editionis errorem pertinaciter defendas, non rationibus liberaliter conuincẽdus es, ſed fuſtibus ſeruilem in modum mulctandus. Exiſtimaſſe autem Stoicos *eas de futuro enunciationes nondum ueras aut falſas eſſe, ſic docet* Cicero: Si *hæc enunciatio,* Veniet *in* Tuſculanum Hortẽſius*, uerum non eſt, ſequitur ut falſum ſit: quorum iſti neutrum uolũt, id eſt,* Stoici. Id *etiam* Alexander *oſtendit:* ὅμοιον δὲ τούτῳ καὶ τὸ λέγειν τὸ ἀξίωμα, τὸ ἔσται αὔριον ναυμαχία, ἀληθὲς μὲν εἶναι δύνασθαι, οὐ μέντοι καὶ ἀναγκαῖον. ἀναγκαῖον μὲν γὰρ τὸ ἀεὶ ἀληθές· τοῦτο δὲ οὐκέτι ἀληθὲς μὲν, ἐπεὶ δ' αὖ ἡ ναυμαχία γένηται. Id eſt, Huic *ſimile eſt etiã, quod aiunt, pronunciatum iſtud,* Cras *erit prælium nauale, uerũ eſſe poſſe, non tamen neceſſarium.* Neceſſarium *enim eſſe quod ſemper uerum ſit: iſtud autem nondum uerum eſſe, ſed tum denique, cùm prælium nauale fuerit.* Rurſus *in* Diodorum *&* Ciceronem *paulò pòſt, non cõcionali tuo clamore, ſed accuſatoria criminatione inueheris, & fortiter in errando propoſitum urges tuum, cum nec quid dicat, nec quid ſentiat* Diodorus, *intelligas: mauiſq; calumniator importunus eſſe, quàm diligens interpres haberi, & delationi tuæ fidẽ potius haberi poſtulas, qui libros* Diodori *nõ legiſti, quàm* Ciceronis *interpretationi, qui eos accuratè euoluerat.* Animaduerti *autem in ſentẽtia* Diodori, *duo obſeruanda & notanda eſſe:* Vnum, *ſignificationem eius quod fieri*

ſieri poteſt, ab eo in iis tantũ, quæ ſint aut futura ſint, poni, cùm ab Ariſtotele *&* Chryſippo *aliter deſiniatur.* Sed *iſta de uocabulo lis atq; cõtrouerſia uidetur, neq; rem attingit: tãtũ alia ſubiicitur ei, quod ſieri poteſt, uis atq; notio.* Alterũ, *nobis certa & explorata non eſſe, quæ in poſterum uera ſint futura: ſi quid tamen uerum ſit, id euenturum eſſe.* Nam *ſi non eueniret, uerum in falſum conuerti poſſet: quod factu nefas, atque adeò ne uerum quidem fuiſſet.* Proinde *etiam pronunciationes de futuro, iam antè ſexcentis ſeculis ueras aut falſas eſſe, cùm* Stoicis *nec ueræ nec falſæ,* Ariſtoteli *incertæ eſſe uideantur.* Atque *iſta ſententia, ut falſa ſit, tamen nullam neceßitatẽ in rebus conſtituit, ſed uim enunciationũ interpretatur: ut ſi ueræ ſint, res eueniat, ſiue fortuita, ſiue uoluntaria cauſa eas ad exitũ adducat.* Nam *ueri immutabilitas confirmatur, non fati neceßitas ſancitur.* Quid *igitur habes, homo criminoſe, quod* Diodoro *&* Ciceroni *impietatem obiicias?* Nónne *ſi leges ualerent, impietatis in te calumniæ condemnatum pœna conuerti deberet, ut eam ipſe tuo capite lueres, quam aliis irrogare per ſummũ ſcelus ſtuduiſti?* Ac *mihi permirum eſſe uidetur, quod in* Chryſippo *fati aſſertore, & maioris impietatis affini, conniueas: in* Diodoro, *ſi uis, errante (nam mihi eius ſententia non probatur) fatum tamen introducere ſe non exiſtimante, tam acerbus & uehemens ſis, ut ſemper ipſum, quoties eius mentio incidit, impietatis condemnes.* Retineri *autem à* Diodoro *cauſas uoluntarias & fortuitas ſcire potuiſti, niſi multo antè falſa opinione imbutus & delectatus, uerum ſenſum aſpernatus eſſes: uerum autem ſenſum dedi-*

ta opera fugiſti, ut in reprehenſionibus te uenditare poſſes. Ita Cicero de Diodori *ſententia ſcribit:* Nec *ſi omne enunciatum aut uerum aut falſum eſt, ſequitur ilico eſſe cauſas immutabiles, eáſque æternas, quæ prohibeant quicquam ſecus cadere atque caſurum ſit.* Fortuitæ *ſunt cauſæ, quæ efficiant, ut uerè dicantur, quæ ita dicentur,* Veniet *in* Senatum Cato, *non incluſæ in rerum natura atque mundo: & tamen tam eſt immutabile uenturum, cum eſt uerum, quàm ueniſſe: nec ob eam cauſam fatum, aut neceſſitas extimeſcenda eſt.* Niſi *forte cenſes tam hebetem & rudem fuiſſe* Ciceronem, *ut intelligere non potuerit, quid hæc opinio cum fato commercij & rationis haberet: aut te, cui comparata noctua acie acerrima uideri poteſt, iſta cernere poſſe credis, illũ non potuiſſe credis.* Quanto *probabilius eſt te in* Diodoro *allucinari, illũ uerũ uidere?* De*ſine igitur imperitiã & inconſtantiam, omniũ quos unquã cognouerim, indoctiſsime, iuxtà & arrogantiſsime, uitia à* Cicerone *abhorrentia, in te conuenientia, homini eloquenti & philoſopho, infans & indoctus obiicere: ac uide ne dum inſanis, in crimen impietatis ipſe prolabaris.* Nam *ſi rationes tuæ ueræ ſunt, confirmo tibi fatum eſſe, niſi nomen neceſsitatis diſtinguis: ſed ſi diſtinctionem adhibes, quod in tua cauſa ualebit, in* Diodori *non ualebit?* Sic *enim ais,* Non *enim ueritas rerum neceſſaria & immutabilis eſt, niſi ex neceſſariis & immutabilibus rerum cauſis.* Erras, *qui quod in enũciationibus tibi quærendum fuit, in rebus quæras.* Sed *fac de rebus agi.* Præteritum *immutabile eſt, immutabiles tamẽ cauſas nõ habuit.* Nam *in iis quæ facta ſunt, nullũ etiam* Deo,

ut

ut plerique dicunt, ius eſt, præterquam obliuionis. Vides igitur in præteritis falſum eſſe, quod ſumis. Quid? ſi deus te oſtentatorē fore & ſophiſtam præuiderit, & præſcierit, nōne omnino oſtentator & ſophiſta eris, atque adeo iis moribus præditus, ut ad eloquentiam & philoſophiam dedecorandā natus eſſe uideare? omnino talis euadas neceſſe eſt: alioqui deus id non præſcierit, aut falſum præſcierit. Et tamē etiam nūc potes exuere iſtam animi uanitatem atque fucum, neque tibi deus uim ullam affert: ſed cauſarum, quāuis nō neceſſariarum, uim ſatis ſpectatam habet, ſatíſq; compertam, ut certo præſenſerit ita euenturum. Quæ cum ita ſint, aut tibi impiè fati ius ſanciendum eſt, aut neceßitas diſtinguenda: unáque abſoluta, altera tanquā ex conditione ponēda: una fatalis & ineluctabilis, altera non uiolēta, conſequētiā tamen quandā habēs & ordinē, (alij neceßitatē ex adiūctione uocant, & ſimplicem atque abſolutam) una, quæ euētu & exitu cēſeatur, etſi neceſſarias non habeat cauſas: altera quæ efficientia cauſarū neceſſariarū ſuum opus moliatur. Eadē prope eſt Diodori ratio: neceßitatē enim ex adiunctione & cōditione, & euentus fide tuetur: quæ etſi non mutatur, tamē non eſt fatalis, quòd ſimplex & abſoluta nō ſit: & contendit pronunciata in futuro, iam falſa aut uera eſſe, quod alij uel negant, uel incerto dubitantérq; dicunt. Id te Ciceronis uerba docebāt, ſi docilis eſſes, & animus tuus uerum caperet, aſſuetus falſo. Sic enim ſcribit, Et tamē tam eſt immutabile uēturum, cum eſt uerum, quàm ueniſſe. Liberum enim facit Catoni, uenire aut non uenire: uerum tamen ſi uerū ſit uēturum eſſe, quod tanquam adiunctionis eſt

& conditionis, eum oportere uenire. Hîc de Logica nihil dicã *tua: neque enim quod non eſt, loqui ſoleo: tantum dicam in te non ſatis eſſe ingenij, non ſatis literarum, ut iſta in auctoribus perſpicere poſsis & enodare.* Non fefellit autem Diodorum *iſta diſiunctionis neceſsitas,* Omne *enunciatum uerum aut falſum eſſe.* Sed (*quod non intellexiſti*) *pugnat omne enunciatum in futuro, iam uerum aut falſum eſſe ante exitum rei, quod à* Stoicis *negabatur, & ab* Ariſtotele *fati metu, dubium & incertum relinquitur.* Ita *enim argumentatus eſt:* Si *omne pronunciatum uerum aut falſum eſt,* Veniet *in* Tuſculanum Hortenſius, *uerum aut falſum erit.* Non *falſum, uerbi gratia: igitur uerum.* Neceſſe *igitur, ſi uerum eſt, in* Tuſculanum Hortenſium *uenire, quia uerum eſt: non quin utrumuis ei liceat, ſed quia uerum poſuimus, & uerum eſſe non poſsit, niſi euentu comprobatum atque teſtatum.* Nam *ſi non ueniet, uerum non erat, ſed falſum.* Arietes *tui urbes non expugnant.* Illa Diodori *ſententia in enunciatis eiuſmôdi eſt, ut uerba rerum fidem ſequi oporteat, non tamen ut abſolutam in rebus neceſsitatem cõſtituat.* Mox *in* Cicerone, *cum pro,* Si *hæc enunciatio uerum non eſt, enunciatum legis, nimium tibi in* Cicerone *iuris ſumis, nec meminiſſe uideris ab eo ſcriptum eſſe prima* Tuſculana, Mors *mihi malum eſſe uidetur: & cum,* Sequitur *in ſequi mutas, eadem id licentia facis, nec in* Dialecticorum *diſputationibus genus interdum orationis non ſatis conſequens eſſe animaduertiſti.*

In

In Ignaua ratione, Dialecticum peccare.

Hîc quanta nox oculis tuis offuſa eſt, quantæ tenebræ? male herclè propitia eloquentia & philoſophia, quas artes titulo tenus geris, locum hunc attigiſti. Sic enim ſcribis, Redit ad Chryſippum, & ex eius libris ſyllogiſmum quēdam fati confirmatorem, uulgò in philoſophorum ſcholis iactatū, proponit, qui ἀργὸς λόγος *dicitur: id eſt, ignaua ratio. Hac mediusfidius ignaua ratione, tu ignauior multo fuiſti. Poteſtne, obſecro, ſyllogiſmus eſſe fati confirmator, qui ad fati infirmationem adhibetur? Hoc enim incommodum ſubire coguntur, qui fatum eſſe affirmant, ut actionem omnem tollant, quæ res ſubuerſionem uitæ affert, ut proinde fatum tollendum ſit, ne hoc incommodum ſit ſuſcipiendū. Hac autem, ut puto, formula ſyllogiſmus connectebatur: Si eſt fatū, nihil eſt agendū. quis enim locus actioni relinquitur? agendum autem eſt, non eſt igitur fatum. Quòd ſi fatum, ut ais, confirmaret, cur à Chryſippo fati aſſertore diſſolueretur? niſi fortè tam ſtultum Chryſippū fuiſſe cenſes, ut ſua proderet præſidia, ſuáſque arces euerteret. Sequitur enim mox, Hæc ratio à Chryſippo reprehenditur. Sanè Plutarchus, cui haud paulo plus fidei, quam tibi habeo, fato hanc rationem opponi cenſet, cum ita ſcribit:* ἀργοὶ δὲ καὶ θερίζοντες λόγοι, καὶ ὁ παρὰ τὴν εἱμαρμένην ὀνομαζόμενος, σοφίσματα ὡς ἀληθῶς κατὰ τοῦτον τὸν λόγον τυγχάνει ὄντα. *Id eſt, Ignauæ autem rationes & meſſoriæ, quæque præter fatum nominatur, captionès reuerà ſunt in hoc genere diſputationis. Percenſet enim argumenta, quibus fatum oppugnabatur, ut mox, quibus fatū*

probabatur, enumerat. Eadem etiam *Senecæ ſententia eſt, idem iudicium.* Ita enim *ſcribit,* Aut *futurum, inquit, eſt, aut non futurum: ſi futurum eſt, etiam ſi non ſuſceperis uota, fiet: ſi non eſt futurum, etiam ſi ſuſceperis uota, non fiet.* Subiicit enim *paulò pòſt,* Iſta *nobis opponi ſolent, ut probetur nihil uoluntati noſtræ relictum, & omne ius fato traditum.* Id *etiam multo apertius docet* Origenes, *cuius eo libentius uerba ſubſcribam, quòd ea ex illis* Stoicorum Commentariis *exſcripſerit, unde* Cicero *ſumpſiſſe conuertiſſeq́ue uidetur.* Ita *ergo ſcribit,* ἀλλὰ καὶ ὁ ἀργὸς καλούμενος λόγος, σόφισμα ὢν τοιοῦτος ἐπιλεγόμενος ἐπὶ ὑποθέσεως πρὸς τὸν νοσοῦντα, καὶ ὡς σόφισμα ἀποτρέπον αὐτὸν χρῆσθαι τῷ ἰατρῷ πρὸς ὑγείαν. ἔχει δὲ οὕτως ὁ λόγος· εἰ εἵμαρταί σοι ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου, ἐάν τε εἰσαγάγῃς τὸν ἰατρὸν, ἐάν τε μὴ εἰσαγάγῃς, ἀναστήσῃ. ἀλλὰ καὶ εἰ εἵμαρταί σοι μὴ ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου, ἐάν τε εἰσαγάγῃς τὸν ἰατρὸν, ἐάν τε μὴ εἰσαγάγῃς, οὐκ ἀναστήσῃ. ἤτοι δὲ εἵμαρταί σοι ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου, ἢ εἵμαρται μὴ ἀναστῆναι. μάτην ἄρα εἰσάγεις τὸν ἰατρόν. ἀλλὰ χαριέντως τούτῳ τῷ λόγῳ ἀντιπαραβάλλεται τοιοῦτόν τι. εἰ εἵμαρταί σοι τεκνοποιῆσαι, ἐάν τε συνέλθῃς γυναικὶ, ἐάν τε μὴ συνέλθῃς, τεκνοποιήσεις· ἀλλὰ καὶ εἰ εἵμαρταί σοι μὴ τεκνοποιῆσαι, ἐάν τε συνέλθῃς γυναικὶ, ἐάν τε μὴ συνέλθῃς, οὐ τεκνοποιήσεις. ἤτοι δὲ εἵμαρταί σοι τεκνοποιῆσαι, ἢ μὴ τεκνοποιῆσαι. μάτην ἄρα συνέρχῃ γυναικί. ὡς γὰρ ἐπὶ τούτου, ἐπεὶ ἀμήχανον τεκνοποιῆσαι, μὴ συνελθόντα γυναικὶ, οὐ μάτην παραλαμβάνεται τὸ συνελθεῖν γυναικί· οὕτως εἰ τὸ ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου ὁδῷ τῇ ἀπὸ ἰατρικῆς γίνεται, ἀναγκαίως παραλαμβάνεται ὁ ἰατρὸς, καὶ ψεῦδος τὸ, μάτην εἰσάγεις τὸν ἰατρόν. Id *eſt,* Sed *& captioſa ratio, quæ appellatur ignaua, huiuſmodi per fictionē ægroto proponitur, captione eum deterrens, ne ad ualetudinem medico utatur.* Ea *talis*

eſt,

eſt, ſi fatum tibi eſt ex hoc morbo conualeſcere, ſiue tu medicum adhibueris, ſiue non adhibueris, conualeſces. Item, *ſi fatum eſt tibi non conualeſcere, ſiue medicum tu adhibueris, ſiue non adhibueris, non conualeſces: & alterutrum fatum eſt. medicum ergo adhibere nihil attinet.* Sed *uenuſtè huic rationi alia huiuſmodi refertur.* Si *fatum tibi eſt procreare, ſiue cum muliere fueris, ſiue non fueris, procreabis.* Item, *ſi fatum tibi eſt non procreare, ſiue cum muliere fueris, ſiue non fueris, nõ procreabis: & alterutrum fatum eſt. nihil igitur attinet cum muliere concumbere.* Vt *enim hîc ſi fieri non poteſt, ut quis procreet, niſi cum muliere concubuerit, non ſine cauſa cum muliere eſſe aſſumitur:* Sic *ſi ualetudinis recuperatio medicinæ uia efficitur, neceſſario adhibetur medicus: ac falſum eſt fruſtra medicum introduci.* Hîc *igitur non ſolum falſum, ſed etiam contrarium ſcripſiſti.* Nam *quo tandem pacto hæc ratio ad confirmandum fatum adhiberi queat, cum ex ea fatũ non colligatur, ſed in ea fatum pro argumento ponatur?* Hîc *fatum quæſtio non eſt,* Dialectice *noſter, ſed probatio: nec concluditur, ſed concludit.* T*urpe profectò tibi eſt, ſic in argumentationibus delinquere, ut argumentum à quæſtione non poſsis diſtinguere.* Mox *proinde quaſi errorũ te pœniteret, quos editione priori admiſiſſes, ad illum locum,* Ex *iſto morbo non conualeſces, annotationem ſubſcribis præclaram.* Negatione *hîc nihil opus eſt: nam ſi negatio falſa eſt, affirmatio certè erit uera.* Itaque *ſi* Cicero, *ut codices indicãt, ita ſcripſerit, ſcripſit ſane cõtrarium quàm ſenſit.* Hîc *parum abeſt, quin putẽ aliquo malo carmine mentem tibi ademptam, ita nihil ea ute-*

ris. Si fatum, ô bone, ponatur, tamẽ quid euenturum ſit, homines neſcimus, ſed euentum tamen omnẽ fatalem eſſe decernimus. Ita *per diſiunctionem argumentamur contrariorum, ut paulò antè* Seneca, Aut *futurum eſt, aut non futurum: & in hoc exemplo apud* Ciceronem & Origenem, Aut *conualeſces, aut nõ conualeſces: deinde quæ ſequuntur connexa.*Non *igitur* Cicero *contrà quàm ſenſit, ſcripſit: ſed tu contrà quàm ſenſit, intellexiſti.* Mox *in ſolutione* Chryſippi, *grauis auctor ſcribis:* Verè *itaq; aſſumptioni reſiſti poterat:* Neutrũ *enim fatale eſt.* Vt *quid agatur, acutè cernis?* Quaſi *uero qui hoc diſſerit, fatum eſſe putet, ac non in eum diſputet, qui fatum approbet.*Is *autem ſi ſibi conſtare uelit, alterutrum fatum eſſe concedat, neceſſe eſt.* Quantam *iniuriam ampliſsimo & clariſsimo* Cardinali *facis, cuius dignitati tuis ſordidis iſtis* Commentariis *labem & maculam propemodum aſpergis? eniti deberemus, ut qui ſis, intelligeret, ne poſthac ſineret à te ſuo nomini illudi.* Paulò *pòſt ad illum locum,* Carneades *genus hoc totum non probabat, pari uel ignauia, uel inſcitia peccas.* Sic *enim ſcribis* Ciceronẽ *explicans,* Carneades *omnes* Chryſippi *fraudes & captiones damnabat.* Quaſi *uerò ignaua ratio* Stoicorum *eſſet, ac non eorum philoſophorum, qui fatum frangere conabãtur.* Itaque *ualebat, non in fatum tantùm, uerum etiam in* Diodorum *propter immutabilitatem ueri, etſi ei omnia quàm* Stoicis *erant expeditiora.* Valere *autem etiam in* Diodorũ *ſignificat* Cicero, *cũ ita ſcribit:* Licet *etiã immutare, ut nomen fati nõ adiungas, &c.* Ignaua *autẽ iſta ratio, captioſa cum eſſet, & calumniæ plena, à* Carneade *nõ probabatur:*

aliòque

alióque argumento fatum ſine ulla captione oppugnabat. Hic eſt, *eloquẽs noſter & philoſophe, huius loci ſenſus, quẽ à te tot támque diuerſis profeſſionum maximarum negotiis implicato & diſtricto, non eſſe perceptum equidem nõ miror.* Porrò *autem in illa uere impia & academica* Carneadis *de præſcientia* Dei *ſententia, non eſt ex definitione* Ariſtotelis *natus error, qui ſcientiam definiit, cognitionẽ ex ueris cauſis: nec ab aliis philoſophis, ut* Stoicis, *ſic definiebatur.* Zeno *enim, quod erat ita ſenſibus comprehenſum, ut cõuelli ratione non poſſet, ſcientiam, ut* Cicero *ait, uocabat: ſed ex eo ortus eſt, quòd in fortuitis nullam certam firmámque cauſam, nullam commonitionem, nullum argumentum, nullum indicium, nullum denique ueſtigium futuri* Carneades *putaret eſſe, unde* Deus *poſterum augurarctur.* Quòd *enim in iis nihil certi eſſet & explorati, quòd ea mutabilia & infirma uideret, quòd in iis nullam uiam, quæ ad euentus fidem & cognitionem ferret, cerneret, ne à* Deo *quidem præſciri poſſe credebat.* Id *enim eſt quod ſcribit* Cicero. Nõ *igitur* Ariſtotelis *eum definitio fefellit, ſed quòd aliter quàm ex uera cauſa futurũ prænoſci poſſe non putaret, certóq; prædici.*

Ad *illum locum,* Ratio *igitur,* Diodorum *defendi poſſe.*

Academici *philoſophi,* Diodori *ſentẽtia, occurrebant rationibus* Stoicorum *fatũ confirmantium.* Eam *tamen* Stoici *ad neceſſitatem fatalem pertrahere nitebantur, ſed fruſtrà laborabãt, ut tu nunc quoq; fruſtrà te fatigas, ut neceſſitatem in ea ſimplicem & abſolutam eſſe doceas.* Miror *te* Ci-

ceroni credere noluiſſe, toties teſtificanti in ea ſententia nihil ineſſe fatale, fortuitáſque cauſas eſſe poſſe, & uoluntarias, quæ efficiant, ut in futuro, ſi quid dicatur, uere dicatur: ſed ubi ſemel è carceribus ueri exiiſti, rationis habenas non audis. Quod autem hîc argumentum uexas & exagitas, contra te Diodorus *hoc modo facile obtineret: uelis enim nolis, neceſſe eſt fatearis, cum ſic eloquimur,* Sauciabitur Philoctetes*: non ſauciabitur* Philoctetes*, alterũ uerum, alterum falſum eſſe.* Eodem modo *ſi dicam,* Cras *curres,* Cras *non curres.* V*trum tamen uerum ſit in futuro, homines neſciũt,* Deus *nouit: euentus deniq; indicabit.* Quod *ſi uerum eſt,* Sauciabitur Philoctetes*, omnino ita eueniet: nõ quòd ſit euẽtus rei neceſſarius, ſed quia nihil in futuro uerum eſſe poteſt, niſi ita cadat.* Ea *autem enũciata iam tanto ante in futuro uera aut falſa eſſe neceſſe eſt.* Niſi *enim* Sauciabitur Philoctetes*, ante euẽtum uerum ſit, nunquam uerũ erit: nam ulcerato* Philoctete*, uerũ erit præteritũ, non futurũ: id eſt, ſauciatus eſt, nõ ſauciabitur: quod idem in eo quod fieri poteſt, ſentit. quod enim fieri poteſt, cum uerũ ſit, nec uerum in falſum poßit immutari, euenire oportere contendit, non tamen fatali neceßitate, ſed exitus cõſecutione.* Ita *ſit, ut in* Diodori *ſententia nullum fatum, nulla neceßitas extimeſcenda ſit, quod ante* Cicero *dixit, ſed calumnia tua formidãda, quæ contra legem* Lectoriam*, ad circũſcribendam, fallendam, inducendam adoleſcentiam tota comparata eſt.* Quare, *ô uecors, hîc deſine patrocinari* Epicuro, *qui, niſi me fallit animus, tarditate & inſcitia tibi ſimilis erat.* Nam *quod ais* Epicureos *reſiſtere poſſe ſecũdo & tertio*

tio gradui argumẽtationis Ciceronis, *cùm inter falſum & uerum in enuntiatis (de iis enim agitur) nihil medium ſit, quì fieri poßit, equidem non diſpicio . Vt enim ſi nec nox eſt, nec dies (medio enim carent iſta) nox non eſt : ſi nox non eſt, dies eſt:* Ita *quoque ſi in enunciatis neque uerum neque falſum eſt, uerum non eſt: ſi uerum non eſt, falſum eſt.* R*urſus quod nec uerum, nec falſum eſt, falſum non eſt: ſi falſum non eſt, quì poteſt non eſſe uerum?* His *argumentationibus tam neceſſariis, tam firmis (duæ enim ſunt, quod non animaduertiſti)* Epicureus *ſi reſiſteret, & tam impudenter quã tu, faceret, & lingua nõ mente id negaret.* Ma*le autem narras, qui* Ariſtotelem *ais* Epicuri *iudicium tueri in enũciationibus futuri, ut in eis eius ſententia nec uerum nec falſum ſit. Quid?* Philoſophũ *omnium ingenioſißimum ita dormitaſſe credis, ut in illum* Epicuri *ueternũ incideret? imò uerò, uerum & falſum* Ariſtoteles *in eis eſſe exiſtimat, non tamẽ liquidò neque certò, cum* Epicurus *nullũ ueſtigiũ uel ueri uel falſi in eis eſſe putet.* V*ſitatum eſt tibi non ſolum inter auctorũ ſentẽtias male iudicare, uerũ etiam eas ignorare.* Itaque *quod inſtituiſti, cenſeo facias, ut poſthac nugacia tua interpreteris ſcripta, cum in auctoribus omnium iudicio qui eruditi ſunt, nihil intelligas .* Nec *uerò neceßitas diſiunctionis,* Diodorum *fefellit, ut tu putas: ſic enim argumentatur,* Enunciatio *omnis uera eſt, aut falſa : ergo hæc enunciatio,* Cras *ambulabis, uera aut falſa erit: fac ueram eſſe, cras igitur ambules oportet: alioqui uera nõ eſſet. uerũ enim rei exitus declarat . Quod autem ſcribis eloqui uerbũ eſſe oratorium, unde oratorem eloquentem appellari: equi-*

dem quid dicas, neſcio. Mihi quidem uulgi uerbum fuiſſe uidetur: tot enim apud Comicos ruſtici & ſerui eo uocabulo utuntur, ut appareat ab oratoribus uſu ſuum non eſſe factum: & ut eloquentes dicerentur oratores, certe à populo ſic appellabantur. Iſta ratione licet oratorem uocabulum oratorium dicas, medicum uocabulum medicinale, quia ſic diſerti, & qui morbos curant, uocantur.

Errare Dialecticum, qui putet Ciceronem à Chryſippo deceptum.

Quouſque tandem ſic perges inſectari Ciceronem, eique aliena, non ſua uitia crimini dare? uis hîc me rumpam, ad rauim clamãdo, eam eſſe Chryſippi culpam, qui æſtuãs & laborans, quomodo animi libertatem retineat poſito fato, hoc effugium cõmentus eſt, fatum nexum eſſe ex cauſis nõ neceſſariis, ſed adiuuantibus & antecedentibus? Id ſi millies clamarem, apud te nihil proficerem, cuius aures ad uerum obſurduerunt, à falſo animus nũquam abhorruit. Iſta autem, ut ſcias, ei inconſtantia & leuitas à ſcriptoribus, quos non legiſti, obiicitur: ut à Plutarcho, ὁ δὲ λέγων, ὅτι χρύσιππος οὐκ αὐτοτελῆ τούτων αἰτίαν, ἀλλὰ προκαταρκτικὴν μόνον ἐποιεῖτο τὴν εἱμαρμένην, ἐκεῖνος πάλιν αὐτὸν ἀποδείξει μαχόμενον πρὸς αὐτόν, *&c. Id eſt, Qui autem ait à Chryſippo non principalem & perfectam harum rerum cauſam, ſed antecedentem ſolum fatum ſtatui, is rurſum ipſum ſecum pugnare demonſtrabit. Et paulò pòſt,* πότερον οὖν τὰς συγκαταθέσεις μὴ λέγωμεν ἐφ᾽ ἡμῖν εἶναι, μηδὲ τὰς ἀρετὰς, μηδὲ τὰς κακίας, μηδὲ τὸ κατορθοῦν,

τορθοῦν, μηδὲ τὸ ἁμαρτάνειν· ἢ τὴν εἱμαρμένην λέγωμεν ἐλλιπῆ τινα εἶναι, καὶ τὴν πεπρωμένην ἀπεράτωτον, καὶ τὰς τοῦ Διὸς κινήσεις καὶ σχέσεις ἀσυντελέστους. τούτων γὰρ ἕπεται τὰ μὲν, ἐὰν αὐτοτελῆ, τὰ δὲ ἐὰν προκαταρκτικὴν μόνον αἰτίαν εἶναι τὴν εἱμαρμένην. αὐτοτελὴς μὲν αἰτία πάντων οὖσα, τὸ ἐφ' ἡμῖν καὶ τὸ ἑκούσιον ἀναιρεῖ· προκαταρκτικὴ δὲ, τὸ ἀκώλυτον εἶναι καὶ τελεσιουργὸν ἀπόλλυσι. *Id eſt, Vtrum igitur aſſenſiones negamus in noſtra eſſe poteſtate, uirtutes, uitia, recte facta, peccata: an uerò fatum dicimus imminutum eſſe, & ipſam parcam ratam & terminatã nõ eſſe, Iouiſque impulſiones & retentiones imperfectas eſſe? horũ enim alterũ conſequens eſt, ſi fatum abſoluta & perfecta cauſa ſit: alterum, ſi ſolummodo antegreſſa. Hãc inconſtantiam obieciſſes Chryſippo, niſi exiſtimaſſes nobiliorem fore de Cicerone uictoriam. Ita Chryſippum reliquiſti, Ciceronẽ inuaſiſti. Verùm hoc crimen ſolus Chryſippus ſuſtinere debet, & ſuam leuitatem & inconſtantiam præſtare, qui modo fati ius inexorabile, indomitum, inſuperabile, ineuitabile eſſe prædicat, uerbiſq; ſuis dum utitur, immutabilem & immoderatã eius poteſtatẽ ſancit (*ἄτροπον *enim uocat,* ἀδράστειαν, ἀνάγκην, πεπρωμένην, *quæ omnia inuictum eius robur oſtẽdunt:) modo aliorum philoſophorum diſputationibus fractus & debilitatus, ut libertatem animi retineat, uim fati eneruat, & in præcurſione cauſarũ nullam neceſſitatem habentiũ collocat. Non igitur, ut cenſes, Chryſippus Ciceronem fefellit, nec ei os ſubleuit, ſed ipſe ſententiam mutauit: ac nunc Cicero Chryſippum tanquã honorarium arbitrũ abdicata & abiurata ſuperiore ſentẽtia, inter eos qui fatũ uim neceſſitatis continere, & eos, qui ſine fato motus animi uolunta-*

rios eſſe exiſtimarẽt, medium ferire uoluiſſe prædicat, ut & fatum retineret, ſed uerbo tenus, & animos liberos eſſe dice ret, in quam ſententiam eſt propenſior: ut inter eos, qui fatũ negant & Chryſippum, uerborum ſit potius quàm rerum contentio. Ita tum uerbo retinet fatum, re tamen arbitrium ſancit. Eſt autem medium ferire, quod μέσον βάλλειν *Græcè dicitur, aut* μέσον τέμνειν. *Simile eſt illud Plutarchi in Sym- poſiacis,* ἐπεὶ δὲ καὶ ταῦτα ἐῤῥήθη, καὶ τὴν κρίσιν ἀπῄτουν οἱ παρόν- τες, ἔφην ἐγὼ, διαιτητὴς ᾑρημένος, οὐ κριτὴς, βαδιεῖσθαι διὰ μέσου. *Id eſt, Hæc cùm dicta eſſent, iudiciúmque peteretur ab iis qui aderant, dixi, cùm arbiter, nõ iudex ſumptus eſſem, me me- dium eſſe ſecuturum. Arbitri autem fuere uel compromiſſa- rij, qui compromiſſo facto interpoſita ferè ſtipulatione pœnæ deligebantur à litigatoribus, ſi ſententiæ non pareretur: uel honorarij, quibus ſine compromiſſo rei cognitio deferebatur. Sed & in iudiciis bonæ fidei, atq; in quibus rebus boni uiri arbitratu & interuentu opus erat, arbitri ſumebãtur. Ita- que in iis rebus, quæ bonæ fidei erant, aduerſarium, à quo aliquid contra bonam fidem factum querebantur, arbitrum dare cogebant: quod arbitrum adigere dicebant. Cicero in Officiis, Arbitrum illum adegit, quicquid ſibi dare facere o- porteret ex fide bona. In Topicis, Aquæ pluuiæ arcẽdæ adi- gere non poſsis arbitrum: quod eſt interprete Pompeio, dare cogere. Proinde ea iudicia ſæpe arbitria dicuntur, ut apud Ciceronem arbitrium rei uxoriæ, arbitrium pro ſocio: cum aditus prætor arbitrum etiam in iis dare ſoleret. Honorarij autem ab honore, qui à partibus eis habetur, nominãtur. ho norarium autem, ut cumulus accedat, interdum præmium*

est,

eſt, quod non debetur, nec mercedis loco tribuitur, ſed honoris cauſa defertur: nam multis in rebus ea eſſe uidetur dignitas, ut mercede non ſint dedecorandæ & inquinandæ. hinc honoraria magiſtratuum, aduocatorum, medicorum. Itaque cùm Cicero *ſcribit docere debitum eſſe, delectare honorarium, permouere neceſſarium, ſignificat non eſſe neceſſe* oratori auditorē delectare, *nec ab eo auditori id deberi: uelut tamē quoddam honorarium addi, uelut quoddam præmium & acceſsionem adiungi.* Proinde *honorem habere, eſt interdum præmium tribuere.* Cicero Curio, Miſi *ut medico honos haberetur. id eſt, honorarium daretur.* Ne *illud quidem omittam, quod ad arbitros pertinet, arbitrium nonnūquam præmium ſignificare: quod rarius & inſolentius fortaſſe cuipiam uideatur. Curtius,* At *uictoriæ arbitrium magis præcipuum ferunt.* Cicero, Nondum *palàm erat factum concidiſſe remp. cum tibi arbitria funeris ſoluebantur.* Hîc *igitur, ut ad rem redeam, nihil habes quòd* Ciceronem *uituperes, qui uim fati* Chryſippo *è manibus extorſit, & eum tādem fateri coëgit, nihil in fato uiolentum, nihil neceſſarium ineſſe: ſed nobilitari* Ciceronis *oppugnatione uoluiſti, ut plus quàm ipſe ſcire & ſapere uidereris, & uim nobis* Dialecticæ *oſtenderes tuæ.* Quòd *ſi improbè calumniari, & uoluntatem auctorum ignorare,* Dialecticum *eſt, confirmo tibi, neminē in* Dialectica *tibi comparandū eſſe.* Quod *autem paulò antè* Cicero *argumentabatur,* Si *omnia fato fiunt, omnia fiunt antecedente cauſa, & ſi appetitus, illa etiam quæ appetitum ſequuntur: ergo etiam aſſenſiones.* At *ſi cauſa appetitus non eſt ſita in nobis, ne ipſe quidē ap-*

petitus eſt in noſtra poteſtate, hanc ſentẽtiam habet: Si fato fiũt omnia, omnia præpoſitã & antecedentẽ habent cauſam: & ſi appetitus, illæ etiam actiones, quæ appetitum ſequuntur. Ergo etiam aſſenſiones, quæ ſunt ipſius appetitus cauſæ, eúmque antecedunt. nihil enim appetimus, ut Stoici uolunt, abſq; aſſenſione & approbatione. Itaq; mox ſubiicit, At ſi cauſa appetitus, id eſt, ſi aſſenſio, non eſt ſita in nobis, ne ipſe quidem appetitus eſt in noſtra poteſtate.

Ad illum locum, Hoc modo hanc cauſam diſceptari oportet, male oppugnari Ciceronem.

Rurſus cooritur in Ciceronem homo diſertus & philoſophus, eúmque ait acumine & argutiis Chryſippi captũ, quaſdam eius diſtinctiones approbare & imitari, & ſuã Logicam Chryſippeæ parem demonſtrare uelle. Equidem neſcio, utrum te ludere dicam, an ſerio loqui: niſi quòd uериſimilius eſt iſta, quanquam abſurda & abhorrentia, te ex animi tui ſententia dicere, qui plerunque in interpretationibus auctorum ſoles dormitare. imò uero, diſerte noſter, quod pugnauit Cicero, quod contendit, in quo uim Dialecticæ ſuæ expertus eſt, obtinuit, & inuito Chryſippo expreſsit fatum eſſe nullum, eſséque omnes noſtras appetitiones, aſſenſiones, uoluntates, ſuſceptiones ſui iuris & arbitrij. Etiam quod ais Chryſippo negari debere, affirmãti aſſenſiones ſine uiſo præcurrente fieri non poſſe, Cicero uidit, cùm ita ſcripſit: Fateantur tamen eas ſine uiſo antecedente fieri, alia ratio eſt, &c. Cur igitur ſic illudis? cur ſic inſultas? Si diuerſæ concurrunt & confligunt ſententiæ, ea profectò

à

à Chryſippo, non à Cicerone culpa animaduertēda eſt: qui modo hoc, modo illud ait. Si quæſitor ſederes, in tuis ſubſelliis maior eſſet noxiis impunitas & ſecuritas, quàm innocentibus: & accuſator, qui reũ manifeſti ſceleris coargueret, aut pro eo, aut cum eo rei capitalis condemnaretur. Nam *qui laudare* Ciceronem *debueras, quòd cõfutata ſuperiore ſententia* Chryſippum *ad ſanam eorum opinionem traduxiſſet, qui fatũ negãt: cum quid ageret, & uellet, neſcires, nec mens tua hebes & obtuſa, diſceptationẽ eius intelligeret, eũ ultrò condẽnatum ueniſti. Quæ (malũ) hæc interpretationis ratio eſt, nõ elaborantis in ſenſus inueſtigatione, ſed ſummã gloriæ ponẽtis in auctoris uituperatione & contumelia? Vt hîc, philoſophe noſter, omni culpa* Cicero *uacat, ita te extra noxiã non eſſe conuincã in loco quodã ſuperiore, quem ſic legis,* Neque *enim* Chryſippus *cõcedens aſſenſiones, proximam & continentem cauſam eſſe in uiſo poſitam, neque eam cauſam ad aſſenſionem neceſſariã eſſe concedet, &c.* Legendum *enim eſt,* Neq; *enim* Chryſippus *cõcedens aſſenſionis proximam & continentem cauſam eſſe in uiſo poſitam, eam cauſam, &c.* Nam *uiſum* Chryſippus *proximã cauſam aſſẽſionis eſſe putabat.* Cicero *paulò antè,* Nam *quãquam aſſenſio nõ poſſit fieri, niſi cõmota uiſo, tamen cum id uiſum proximam cauſam habeat non principalẽ, &c. qui locus tuam lectionẽ falſi perſpicuè coarguit.* Scribis *autem rurſum pari uecordia & inſania,* Diodorum *errare, & impiæ fraudis auctorẽ eſſe.* Tu *de eo id tam temerè & inconſideratè ſcribere auſus es, cuius ſententiam nunquam intellexiſti, ac ne qualis quidem eſſet, ſuſpicatus*

es? Vellem ex ueteribus unum aliquem produxiſſes in medium, qui eam declararet: ſed tu ſine teſte, ſine auctore, ſine aſtipulatore, quicquid aliqua ſpecie mentem pepulit tuam, pro certo amplecteris, & impudenter affirmas: ac, mathematicorum more, poſtulata, ſed non æqua, ſed non uera (ut illi) tibi concedi poſcis. Ergo quæ partes erãt tuæ, ne ſaltem uidereris inſontem indicta cauſa cõdemnare, ut totam Diodori *rationem exponeres ex iuratiſsimis ſcriptoribus, id omiſiſti, téque totum ad maledicta & conuitia conuertiſti.* Aliquanto *enim es, dicam enim liberè quod ſentio, petulantior quàm diſertior, aliquanto maledicentior quàm doctior. præclarum enim in multos auctores importuni conuitiatoris ſpecimen nobis ſæpe dediſti: doctrinæ exemplum adhuc oculi noſtri deſiderant. Ac ut quod de te ſentio, aliquando audias, omnium doctrinæ profeſſorum poſtremum, maledicorum & impudentium longo ſanè interuallo te primum eſſe iudico.* Sed *mores tui non tam reprehenſorem, quàm cenſorem deſiderant: nec tam uerbis quàm iudiciis caſtigãdus es.* Diodori *ſententiam, ut ad eam reuertar, quam explicare debuiſti, ſed non potuiſti (ſatis enim in te literarum non eſt) ex* Plutarcho *&* Alexandro *indicare tibi antè tentaui: eam nunc etiam ex* Epicteto *tibi declarare enitar. ita enim magis uerum quid ſit apparebit, ſi multorum tanquam teſtium dicta proferantur.*

ὁ κυριεύων λόγος ἀπὸ τοιούτων τινῶν ἀφορμῶν ἠρωτῆσθαι φαίνεται. κοινῆς γὰρ οὔσης μάχης τοῖς τρισὶ τούτοις πρὸς ἄλληλα, τῷ πᾶν παρεληλυθὸς ἀληθὲς, ἀναγκαῖον εἶναι, καὶ τῷ ἀδυνάτῳ δυνατὸν μὴ ἀκολουθεῖν, καὶ τῷ μὴ δυνατὸν εἶναι, ὃ οὔτ' ἔστιν ἀληθὲς, οὔτ' ἔσται. συνιδὼν τὴν μάχην ταύτην

ταύτην ὁ Διόδωρος, τῇ τῶν πρώτων δυεῖν πιθανότητι συγχρησάμενος πρὸς παράστασιν τοῦ μηδὲν εἶναι δυνατὸν, ὃ οὔτ' ἔστιν ἀληθὲς οὔτ' ἔσται. λοιπὸν ὁ μέν τις ταῦτα τηρήσει τῶν δυεῖν, ὅτι ἐστί τέ τι δυνατὸν, ὃ οὔτ' ἔστιν ἀληθὲς, οὔτ' ἔσται ἀληθὲς, καὶ δυνατῷ ἀδύνατον οὐκ ἀκολουθεῖ· οὐ πᾶν δὲ παρεληλυθὸς ἀληθὲς ἀναγκαῖόν ἐστι, καθάπερ οἱ περὶ Κλεάνθην φέρεσθαι δοκοῦσιν, οἷς ἐπὶ πολὺ συνηγόρησεν Ἀντίπατρος. οἱ δὲ τἆλλα δύο, ὅτι δυνατόν τι ἐστὶν, ὃ οὔτ' ἀληθές ἐστιν, οὔτ' ἔσται, καὶ πᾶν παρεληλυθὸς ἀληθὲς ἀναγκαῖόν ἐστιν· δυνατῷ δὲ ἀδύνατον ἀκολουθεῖ. τὰ τρία δὲ ἐκεῖνα τηρῆσαι ἀμήχανον, διὰ τὸ κοινὴν εἶναι αὐτῶν μάχην. ἂν οὖν τίς μου πύθηται, σὺ δὲ ποῖα αὐτῶν τηρεῖς; ἀποκρινοῦμαι πρὸς αὐτὸν, ὅτι οὐκ οἶδα· παρείληφα δὲ ἱστορίαν τοιαύτην, ὅτι Διόδωρος μὲν ἐκεῖνα ἐτήρει· οἱ δὲ περὶ Πανθοίδην, οἶμαι, καὶ Κλεάνθην τὰ ἄλλα· οἱ δὲ περὶ Χρύσιππον τὰ ἄλλα. Id eſt, *Ratio dominatrix ab huiuſmodi quadã occaſione interrogata uidetur. Nam cùm eſſet communis inter hæc tria contentio, omne præteritum uerum, neceſſarium eſſe, & impoſsibili impoſsibile conſequens non eſſe, & poſsibile non eſſe, quod neque eſt uerum, neque erit: hanc contentionẽ cum perſpexiſſet* Diodorus, *priorum duorum credibilitate uſus eſt ad conſtituendum nihil eſſe poſsibile, quod nec uerum ſit, nec futurum ſit. Deinceps alius iſta de duobus ſeruabit, & eſſe aliquid poſsibile, quod neque ſit uerum, neque futurum ſit, & poſsibili impoſsibile non eſſe conſequẽs: nõ omne autẽ quod in præterito uerũ eſt, neceſſariũ eſſe, quemadmodũ* Cleanthes *cenſet: cui plurimũ patrocinatus eſt* Antipater. *Alij alia duo, & poſsibile eſſe, quod neque uerum ſit, neque futurum ſit, & omne præteritũ uerum, neceſſarium eſſe: poſsibili autem impoſsibile conſequẽs eſſe.* Tria *autem illa tueri nefas, quòd communis ipſorũ pu-*

gna ſit. Si quis igitur me roget, tu quænam defendis, reſpondeam, equidem neſcio: uerum tale quiddã inaudiſſe uideor, Diodorum illa defendiſſe: iſta Panthædem, ut arbitror, & Cleanthem, hæc Chryſippum. Si tam uerecundè ſententiam ſuſtinuiſſes, & à temeritate te cohibuiſſes, ut uir pius, pudens, & tui diſsimilis, qui inter doctiſsimos uiros pronunciare non audet, multò conſultius feciſſes. neque enim ſententiam tibi nullo modo cognitam (cum enim iſta initio ſcripſiſti, neque quis Diodorus eſſet, neque quid diceret, unquam audieras) elogio nefariæ impietatis notatam improbaſſes, & uerecundi hominis & candidi laudem promereri potuiſſes, non calumniatoris conſcelerati diram opinionem. Sed quid ago? quaſi uerò tu uerecundiam & candorem in laude unquam poſueris, ac non potius os impudens & maledicum rabie quadam effreni in bonos omnes & doctos efferueſcens, ſemper furioſè ſolueris: qui non ſolum in grauiſsimis de philoſophia & eloquentia locis, iudiciũ interponere tuum, uerumetiam, ô omnium poſt homines natos audaciſsime & indoctiſsime, primariis auctoribus tuam ſentẽtiam opponere ſis auſus. Nuper quoque, ne quid inauſum omitteres, quæ conuitia in Euclidẽ iactaſti? quàm multa de eo & Platone inaudita, falſa, à nemine ſcripta, ſed uelut à uetere ægroto ſomniata, protuliſti? His tamen tam deliris & inanibus nugis commendationem doctrinæ quæris, quibus ſi ſaperemus, infamiæ mercedem perſolueremus: téque de ſuggeſto non exploſum eiiceremus, ſed præcipitem exturbaremus. Declamaſti à Proculo, Euclidis ordinem eſſe perturbatum. quo auctore affirmare id es auſus?

tu

tũ id in iudicio dicere pro teſtimonio auderes? Sed Euclidẽ *perturbatum eſſe commentus es, ut opera tua in diſponendo egere uideremur.* Itaque *quòd culpare aliud in eo nõ poteras, quædam in eo aliter ordinaſti.* Locupletes *te patreſfalias poſthac, ſi me audient, in ædes ſuas nec inuitabunt, nec admittent.* Nam *ſi nihil aliud, ordinem certe & collocationem ſupellectilis reprehendes, & diſpoſitionem aliam inſtitues. ac nunc ordinarius uerè profeſſor & es & haberis, qui ſemper de ordine nugaris: & qui tibi ſemitam non ſapis, qui in uia conſulari errorẽ cauere nõ potes, dux itineris in locis difficillimis & impeditiſsimis aliis eſſe cupis, téq;* Triumuirũ *quendã, non ut illos olim ad rempub. conſtituẽdam, ſed ad diſciplinarum fines regendos, earúmque præcepta ordinanda,* Dei *munere creatum, nobíſq; donatũ arbitraris.* Cum *autem unã ordinis eſſe rationem falsò cẽſeas, non eſt mirum, ſi quæ auctores optimi ſcribunt, qui iſto errore tuo implicati non erãt, nec unã tantũ uiam & rationẽ docendi eſſe ſentiebant, ad decreta & placita non reſpondent tua.* Coram *te nemo olim* Romæ *quærere auſus eſſet,* Brunduſium Numici *melius uia ducat, an* Appi? Te *enim auctore una tantùm uia eſt.* Ciceronem *autem non dubito, quin ineptum iudices, qui tres eſſe uias ſcripſit, quæ ad* Antonij *caſtra ferant.* Itaque *nunc promulgatione tuæ iſtius uiariæ rogationis, tuo ſuffragio curationẽ tibi tuliſti, nullo iure, nullis regionibus definitam.* In *omnes omnium auctorum poſſeſsiones & fundos inuadis, nouam quandàm uiam muniens, illorũ diuortia, ut uociferaris, flexus, ambages, ſemitas, una cõſulari uia, ut prædicas, rectà ſine errore,*

ſine diuerticulo ferente ſublaturus. Inueniſti *quo pacto alienum facias tuum, ſi nanciſci poßis, qui tibi crediturus ſit.* En *habes, ubi, quemadmodum* Horatius *ait, tragica deſæuias, & ampulleris in arte: ac nobis etiam poſthac mirificos ſpectantibus ludos dabis.* Q*uæ eſt hæc licentia? homo omnium quos unquam nouerim, indoctißimus, arrogantia intolerabili & faſtidio ſuperbo elatus, ſic per auctores, ut uaſtitas, peſtis, calamitas graſſabitur, & ſi nihil aliud, omnia ſurſum deorſum miſcebit, rerúmq; optimè conſtitutarum perturbationi, ſtudio nouitatis & famæ captus, ordinis nomen imponet?* Hoc *nimirũ eſt, cur* Dialectici *nomen tantoperè tibi uendices, ut iudicium tuum de aliis, uelut cenſoris cuiuſdã notatio animaduerſióque eſſe uideatur.* Tu *dialecticus? quis omniũ minus? qui nibil ingenij, nihil iudicij habeas, qui falſum ſequi, uerũ aſpernari ſoleas?* Sed *me reprimam, ad* Diodorum *reuertar.* Sentiebat Diodorus, *quicquid in præterito uerũ eſſet, neceſſarium eſſe, quòd ea cõditione uideretur, ut immutari non poſſet: ut, ſediſti.* Nec *tamen illã neceßitatem à cauſis neceſſariis profectam exiſtimabat, ſed eam immutabilitatem in præterito, quod uerũ eſſet, reperiebat.* Idẽ *impoßibile impoßibili nõ eſſe conſequẽs dicebat: ut, terra uolat: igitur terra cœlum eſt. cũ tamẽ uulgo in ſchola dicamus, impoßibili omnia eſſe cõſequẽtia.* Poſtremò *poßibile dicebat, quod eſſet uerũ aut uerũ futurũ eſſet.* In *quo & ab* Ariſtotele *diſſentiebat, qui quod euenturũ non ſit, tamen fieri poſſe dicit, modò ea ſit eius cõditio, ut euentui non repugnet: & ueri immutabilitatẽ æquè ac in præterito ſequebatur, ſine cauſæ tamen neceßitate.* Vt *enim*

præteritum

præteritum quod uerum eſt, neceſſarium cẽſebat, quãquam ad exitum fortuitæ aut uoluntariæ cauſæ perduxiſſent: itã quod eſſet, aut futurum eſſet uerum, poſsibile decernebat, quales illudcũque cauſæ effecturæ eſſent. Quod enim non eſſet, nec futurũ eſſet, ſi poſsibile diceretur, contendebat uerum in falſum commutatum iri, inertémque, ac nullam illã poteſtatẽ dicebat, quæ non eſſet aliquando futura. Illa autem eius quod fieri poteſt, definitio, ut hominibus multis nõ probetur, quid tamen habet cum impia fraude cõiunctum, quid cum fato copulatum, cùm animi libertatẽ, cùm cauſas fortuitas retineat, tantum uocabuli notionem immutet? Quòd ſi res uocabulis parere cenſes, eorúmq; poteſtate mutata rerum naturã conuerti, ſit impius ſanè Diodorus: *ſin mutata definitio logicã controuerſiam parit, res nouas nõ molitur, rerúmque ſtatus incolumis conſeruatur, nomen in alia re ponitur: quid, ô tragica ſimia, fluctus, quod dicitur, in ſimpulo excitas? cur inſontem accuſas?* Mihi *quidem ſimilis nonnullorum hominum uideris, qui quos oderunt, ægerrimè ferũt innocẽtes & bonos eſſe: nec in eis quod laudent, quærunt, ſed quod uituperent: etiam uirtutes perſpectas, apertiſsima calũnia & malignitate, uitiorum nominibus adulterant.* Diodori *ſententia logicã eſt, quod te non attendiſſe miror, hoc præſertim in libro, ubi &* Logicus *eſſe &* Dialecticus *haberi uelles. Ea nihil cũ fato cõmune habet, ſi quis intelligere & ſapere, quàm calumniari & inſanire malit.* Sic *autem uelim exiſtimes, multa tibi à me cõdonari, multa à me præteriri, multa diſsimulari: paulò enim indulgentius te habere, paulò clementius admonere,*

& in multis tibi parcere uolui, ac lenitatem hîc ſequi meã potius decreui, quàm importunitatem & calumniam tuã, qui perſæpe accuſandi libidine & furore actus, certam & perſpicuam laudem in grauiſsimo crimine ſoles ponere. Vno enim in uerſu illo,

πορφύρεοι μώλωπες ἀπορρινήματα χάλυς, *maximos duos errores tuos præterij, quos ſi in alio notares, ſat ſcio mortuos ab inferis excitares ad augendum crimen, & ad odium ei conflandum, qui ſic lapſus eſſet.* Nam μώλωπα *ſtimulũ uertiſti, cum uel uibicem uel ſugillationem dicere deberes:* ἀπορρινήματα *fæcem, cum ſcobem aut ramenta interpretari te oporteret.*

Ad illum locum, Nam *ſi atomis, ut grauitate ferantur, male* Ciceronem *reprehendi,* Epicurum *defendi à* Dialectico.

Ita Dialecticus *ſcribit,* Motus *ponderis eſt neceſſarius:* Ergo *motus declinationis etiam neceſſarius erit:* Epicurus *utrũque negaret. Quã paucis uerbis confectũ iſti negotium eſt? nũ potuit breuius & abſciſsius* Ciceroni *duo iſta negare, &* Epicuro *bis patrocinari? Sed quid ais?* Motum *põderum in præceps,* Epicurus *neceſſarium eſſe negabit? non igitur neceſſariũ eſſe dicet. Cur ergo extimeſcit fatum, excogitátque declinationem? Si enim in naturali motu corporũ nulla neceſsitas eſt, ſine declinatione fatum uitari poterit. Atqui declinationẽ illã induxit, ut fatũ tolleret. Deinde cũ proprius ſit corporũ motus, ut cenſet* Epicurus, *deorſum per inane profundũ moueri: atque ita ſua natura ferantur, oc-*

currat

currat neceſſe eſt cauſa aliqua, quę regione atomos depellat et declinet: ut ſi nulla cauſa ſit, neceſſe ſit sẽper eas rectà cadere in præceps. Nulla *autẽ cauſa affertur, nullũ impedimentũ, nullus obex in inani obiicitur, cur nõ ad lineã delabantur:* Male *igitur negaret* Epicurus *neceſſariũ eſſe motũ atomorũ grauitate deorſum ferri.* Fortunã *caue dicas eſſe declinationis cauſam: nõ enim eſſet ea ratio acumine* Dialectici *digna.* Satis *enim antè docui, fortunã illã uocabulũ eſſe ſine re: niſi fortè tu magus es, qui uim tantam in uocabulis ponas, ut non ſolùm genios, uerũetiam res ſurdas & inanes pellicere & ſollicitare poſſe cenſeas.* Eadem *erit etiã in declinatione neceßitas, ſi atomis ui naturæ tributum eſt, ut declinẽt: quibus enim ui naturæ id tributũ erit, non poterũt non declinare.* Ita *ab* Epicuro *fatũ potius cõſtituetur, quàm euertetur.* Satin *intelligis te, quod facere ſemper ſoles, hîc male cauſæ patrocinatũ eſſe?* Atqui *partes erant tuæ argumenti* Ciceroniani, *firmitatem & robur oſtendere, niſi non ſolùm ingenioſam, uerumetiam glorioſam duceres ueritatis oppugnationem, cui nullus unquam capitalior & iuratior hoſtis, quàm tu, fuit.* Et *tamen cũ hæc ita ſint, uis ab omnibus audire* Dialecticus, *eloquens, philoſophus, uelut de cælo* Triſmegiſtus *aliquis* Mercurius *nobis demiſſus.* Quaſi *uero iis nobilißimis artibus quicquam tecũ cõmercij, quicquã rationis ſit.* Veros *titulos ſi tibi præſcribere uis, ſi te tuis artibus ornare & inſignire cupis, ignorantiã & impudẽtiam, quas præ te fers, tibi inſcribito: nec, quod eſt in prouerbio, te pudeat artes proloqui, quas factites.* Hos *titulos omnium ſequetur approbatio: nemo erit qui nõ in te agno-*

ſcat. Contra Commentarij tui perorationem, quæ tota falla eſt, nihil dicam. Quæ enim antè diſſerui, eam ſatis refellunt. Tantùm admonebo te, ne poſthac tãtum tibi in Dialectica ſumas, ut rudem eius uetuſtatem, te prudentiſsimum cenſeas: hoc enim unum mihi uideris toto tuo Cõmentario agere, hoc docere uelle, te nõ modò Chryſippo & Diodoro, uerum etiam Cicerone meliorem diſputatorem eſſe. Si enim quandocunque in eos diſſeris, ita pueriliter laberis, ut non modò non diſputandi ſcientiam, ſed ne intelligendi quidem mediocrẽ prudentiam præ te ferre uidearis: ab illa præſtãtia, quam opinionis errore tibi finxiſti, ita longè profectò diſtas, ut non tam in Dialectica tibi laus ulla expectãda ſit, quàm ueniæ deprecatio quærenda. Ne philoſophiam quidem & eloquentiam poſthac, ſi mihi credis, tibi arrogabis: eſt inuidioſum, eſt ſuperbum: etiam, ut uerè dicam, ridiculum. Itaque homines uulgò diſsimulatorem tibi aliquem, qualis Socrates fuit, deſiderant, qui ſibi inſignes iſtos titulos detrahat, de induſtria tibi illudens tribuat: qui te ſummis laudibus in cœlum efferat, ut olim ille Protagoram, Hippiã, Prodicum, Gorgiam, reliquos ſophiſtas: quorũ imaginẽ nullam haberemus, ſi te amiſiſſemus. Sed & nonnulli aiunt expectare te debuiſſe, dum hominum iudicio & ſuffragiis iſto honore afficereris: uerecũdi enim hominis fuiſſe, nõ à ſe prędicari, ſed tãquã per præconẽ, ut qui in Olympicis ludis uictores declarabantur, pronuntiari: quãquam tu à uictoria longiſsimè ſemper abfuiſti, in omni contentione & pugna ſemper ſuperatus atque triumphatus. Ac quoties eſſes uictus, & à quibus memorarem, niſi etiam nunc in hominũ

mente

mente triũphalium illorum memoria hæreret, ad quorũ nomẽ ſemper exhorreſcere, ſemper expalleſcere ſoles. Sed tamẽ ſi tu toties uictus, toties ludibrio habitus, uerîſque cenſorũ animaduerſionibus atque iudiciis notatus, audes ea de te prædicare, quæ illi, quibus de te opima ſpolia parta ſunt, nec agnoſcerent, & recuſarent: quid feciſſes, ſi eum aduerſarium habuiſſes, qui aut imbecillitate ingenij, aut fraude præuaricationis tibi in diſputãdo ceßiſſet? Cuius enim nũc uelut militis glorioſi ſpiritus uix ferimus, uictoris inſolentis & exultantis inſanam, ſine modo & modeſtia, gloriã quomodo ferre poſſemus? V tinam grauitatem ſine arrogantia, dignitatem cum uerecundia ſequereris, exemplúmque noſtræ iuuentuti proderes, non ſtultæ oſtentationis, ſed modeſtiæ liberalis (Hæc enim uirtus illam ætatẽ potißimum cõmendat) non ambitioſæ leuitatis, ſed grauis conſtantiæ. Me tibi inimicum eſſe queri non debes: nihil ad contumeliã loquor: ab inanitate ad ueritatẽ, ab ambitione fucata ad ueram laudem, ab adumbrata ſpecie ad expreſſam imaginẽ, à ſophiſtarum captione ad philoſophorum diſciplinã te reuoco. Itaque tuorum familiarium nemo tibi melius unquã uoluit, nemo prolixius & magis ex animo fauit. Illi morbũ uolũt tuũ, & inſaniam fouent: ego tibi ſemper mentem ſanam optaui: quo nullum à Diis immortalibus maius precari bonum poſſumus. Quod utinam tibi tam facile eßet ad te, quàm ad tuos domúmque redire: non ſolum exiſtimationi tuæ conſuleres, iſta arrogantia tollenda: negligenda enim tibi bonorum & prudentium opinio non eſt, qui quid de te ſentiant, paßim audimus: tu gloria impeditus non exau-

dus. erubeſceres enim: uerum etiam ſi quãdo humanitus in ſcriptoribus explicandis, libríſque ſcribẽdis errares, æquiora hominum iudicia experireris. Nunc *enim nulli tuo errori uenia impetrari poteſt, cùm pro* Phidiæ *quodam ſigno, tanquã in arce* Mineruæ, *in auguſtiſsimo eloquentiæ & philoſophiæ templo, uelut utriuſque alumnus & contubernalis, unus poſt hominum memoriam, tuo ſuffragio, tua tabella te conſecraris.* Nam *cùm homines tuis titulis commoti, eam in te abſolutionem requirant, quam in nullius unquã artificis ſigno uiderũt, pro eloquentia tamen inanem uerborum profluentiam, pro philoſophiæ modeſtia arrogantiam, ſuperbiam, intolerantiam nõ ferendam: pro* Latinarũ *literarum ſcientia, earum ignorantiã: pro philoſophiæ cognitione, inſcitiam quadam leuitate ſophiſtarũ & ambitione inſoleſcentẽ: in ſcriptis tuis &* Commẽtariis, *pro eruditione uberrimam errorum meſſem: cum deniq; in his nihil ingenij, nihil iudicij, nihil doctrinæ reperiant: nulli delicto tuo ueniam dare poſſunt: inſimulare procacitatẽ & intẽperãtiam tuam, mores & ignorantiam tuam damnare poſſunt.* Satis *inſaniſti, ſatis pueriliter & iuueniliter laſciuiſti: hæc tua ætas alios mores poſtulat.* Sit ille *datus ætati tuæ ſuperiori ludus: omitte puerilem iſtam inſaniam.* Deſine *etiam nobis uerba dare, eloquentiámque & philoſophiam, quas iuuenili ambitione tibi ſumpſiſti, aut uſurpare noli, aut etiã factis & exẽplis utrãque præſtato, utrãque in te eſſe comprobato.* Quòd *ſi te tuo uitio indulgere iuuat, nihilque mereas, ut faſtũ & ambitionem deponas: uide tamen ne nomen & famam huius* Academiæ *ignominia & infamia,*

cuius

cuius in gremio & ſinu, ut prædicas, creuiſti, quámq; pro matre chariſsima ſemper habuiſti, tibi compares. Nam ei *quàm apud exteras nationes ignominioſum futurum eſt, te in eum perueniſſe locũ, in quo duabus ampliſsimis & nobiliſsimis artibus præſis, quem tamen neque dicendi facultate, neque copia ſcientiæ conſecutus ſis, ſed procacibus in ſcriptores cõuitiis, effrenata maledicendi libidine, cum impudentiæ & ignorãtiæ uitio coniuncta, promeritus ſis?* Hoc *fere triennio uir quidam doctiſsimus, qui ampliſsimo regis* Luſitaniæ *honorario Conimbricæ profeſſor fuerat, in Galliã decedẽs, cũ per* Salamanticã *iter haberet, homines eruditos, qui in ea urbe erant, ſalutauit: quibus cùm ſe* Lutetiam *redire dixiſſet, ſi quid uellent ad notos & familiares, quos hîc fortè haberent, mirari ſe dixerunt, quòd primaria cõditione & regia relicta, huius urbis deſiderio teneretur, ex qua literæ et eruditio exularent: quarũ ſiquis eſſet in ea reſpectus, non tibi locum docendi ullum futurum, qui ad maledicta & ignorationem natus eſſe uiderere.* Quod *ubi intellexi, etſi antea cauſæ tuæ non fauebam, tanto tamẽ tui odio tum flagrare cœpi, ut pro publico huius* Academiæ *opprobrio & dedecore odiſſe te cœperim.* Cuius *enim nomẽ olim ultimis in terris omni laude celebrabatur, nũc uile & contemptũ tuo magiſterio, tuáq; profeſsione, uix hominum iniuriã & cõtumeliam à ſe deprecatur.* Vt *enim ſi parentẽ meũ, qui huic corpori uitam lucémque dedit, aliquo ſcelere uiolaſſes, iuſtiſsimam haberem offenſionis & inimicitiarũ aduerſum te cauſam: ſic cum hanc parentem, quæ quantulumcunque in me ingenij eſt, tanquam procreauit &*

aluit, inſania tua, & auctores inſectandi, maledicendiq́ue intemperantia, acerbiſsimè uulneraris, ignorantia & inſcientia, apud exteros omni probro afficeris (quod enim tu peccas, in eius redundat uituperationem) ut deſipientibus ætate patribus, & male rem gerentibus bonis interdicitur: ſic eam à diſciplina maiorũ & poſſeſsione literarum remouere tentaueris, ut anum ætate delirantem, & nouã quandam docendi rationem præclarus auctor inſtituere conatus ſis: nónne pro hoc ſacrilegio & parricidio tuo, quicquid odij poſſum, meritiſsimo in te expromere debeo? Hac ratione, quam inſtituiſti, admirationẽ, cui ſtudes, aliquam conſequi potes, ſed cum publico bonorum omnium odio coniunctam. Sic monſtra, quæ natura in ſuo opere labente gignuntur, pariter & admirari & auerſari ſolemus.

[BIBLIOTECA] NAZ. [VITTORIO] EMANUELE

ERRATA SIC CORRIGITO.

Fol. 5. pag. 1. uerſ. 16. uelificari. fol. 7. pag. 1. uerſ. 10. Cicero cum. fol. 9. pag. 2. uerſ. 25. contexebat. fol 12 pag. 1. uerſ. 8. Charitonia. fol. 13. pag 1. uerſ 3. Neapolin. fol. 15 pag 1. uerſ. 17. iunctorum, agmen. fol 24. pag 2. uerſ. 12. Valerius id docet his uerbis, M. Ibid uerſ. 17. natalitius illis locis damnari. fol. 25. pag. 1. uerſ. 14. ὃ γάρ τοι ὂν Ibid uerſ. 20. ἀναγκαῖον. fol. 28. pag. 2. uerſ. 10. cedo? Sicceme. fol. 33. pag. 1. uerſ. 12. falſam eſſe poſſe. fol. 36. pag. 1. uerſ. 4. uident. fol. 46. pag. 2. uerſ. ult. ἴσως συνιδεῖν. fol. 47. pag. 1. uerſ. 12. τι.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google